BURCARDI GOTTHELFFII

STRUVII

BIBLIOTHECA

LIBRORUM RARIORUM

CUIUS

THECA PRIMA

CONTINET



I. IO. STIGELII EPISTOLAM DE INAUGURATIONE ACADEMIAE IENENSIS.

II. M. ANT. DOMINICUM DE TREUGA ET PACE.

III. IO. STRAUCHII DISSERTATIONEM DE HOSTENDITIIS.

IV. PAULI MARTINI SAGITTARII DISSERT. DE LOCIS SEPULCHRALIBUS SER. FAM. WITTIKINDEAE.


V. M. ANT. DE DOMINIS CAUSSAS PROFECTIONIS SUAE EX ITALIA.

VI. ACTA EXUSTIONIS ANTICHRISTIANORUM DECRETALIUM.

VII. DESIDERII LIGNAMINEI FACIEM SEPULCRI M. T. CICERONIS.

IENAE

SUMPTIBUS IO. FEL. BIELCKII



LECTORI BENEVOLO

S. D.

BVRCARD GOTTHELF STRUVE.



Agnus liber, magnum malum! Querela hæc eſt virorum doctorum, Studioſorum, ac Bibliopolarum. Iſti equidem libros magnos mole ſua potius laborare ſæpius iudicant quam induſtria ac iudicio. Studioſi, eo quod breuitatem amant, magnorum librorum, curam vix habent. Bibliopolæ vero vel ſumptibus pares non ſunt, vel magnorum librorum emptores reperiunt non adeo frequentes. Neque tamen communis hæc querela me deterruit, quo minus & iſtæ me ſubiicerem edendo, vel Opus Freherianum, vel Syntagma Hiſtoriæ Germanicæ,

quod cuidam magnum malum visum fuit, Diarium Eruditorum, quod apud Belgas imprimitur, peruerse intelligenti. Ne autem similis nunc oriatur querela, paruum nunc malum offero, libellum mole quidem exiguum, sed prout mihi videtur, haut inutilem. Latent enim sæpe in scriniis eruditorum libri rariores, quos in tabernis librariis frustra quæsiueris eruditis tamen plurimum adpetitos. Insignem igitur isti operam nauarunt, qui rariorum librorum notitiam nobis præbuerunt, vel eiusmodi etiam colligere cœperunt. Inter istos referendus est IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, Hildesiensium Præsul venerandus, qui Tomo decimo Obseruationum Halensium, binas etiam de libris raris inseruit. Tales in animaduersionibus suis philologicis & historicis subinde indicauit THOMAS CRENIVS. Secutus hosce fuit IO. CHRISTOPHORVS WENDLERVS Philosophorum Ordini in hac Academia Adscriptus dignissimus, qui singulari dissertatione, paucos ante annos ventilata, varias raritatis librorum impressorum caussas examinauit, idemque exemplis illustrauit egregie. Vt taceamus MORHOFII Polyhistorem, MARVILLII Miscellanea, Diaria Eruditorum atque inter hæc TENTZELII Colloquia Menstrua, quibus libros rariores, eosdemque egregios, videmus indicatos.

Ipsi

Ipſi quoque in *Bibliotheca* noſtra *Antiqua* diuerſorum rariorum librorum recenſionem ſuſcepimus. Nec defuerunt, qui libros rariores colligere cœperunt. IO. CINELLVS equidem in Bibliotheca volante id egit, ſed recentiora, ſaltim curioſa & fugitiua conſarcinans. Magis induſtriam ſuam adhuc probauit HIERONYMVS AVGVSTINVS GROSCHVFFIVS, edendo nouam librorum rariorum Conlectionem, qui vel integri inſeruntur, vel accurate recenſentur. Præmiſit etiam eruditam præfationem, qua de libris rarioribus ediſſerit. Tres ipſi debemus Faſciculos, quibus varia opuſcula inſeruit haut parum vtilia, quo minus pergeret, morte fuit præuentus. Adiecit tamen quartum atque quintum Faſciculum qui infelici fato ſuo notus eſt GOTHOFREDVS TILGNERVS. Nouam Variorum Scriptorum tam editorum, quam ineditorum, rariorum etiam, & recens elaboratorum Conlectionem, eiusdemque Faſciculos duos Halenſes a. 1716 procurarunt, quæ Philologica atque hiſtorica varia comprehendunt, eademque integra, dum dicta Collectio Groſchuffiana ſæpe Excerpta ſaltim contineat, licet frequentiores in eadem reperiamus notas ſubinde ſubiectas. Idem eſt, quod nobis nunc propoſuimus, libellos rariores atque Diſſertationes in publicum euulgare,

 nulla

nulla habita materiarum ratione. Prima, quam exhibemus Pars libellos continet septem de quibus breuiter quædam præfari duximus

I. IO. STIGELII
EPISTOLA DE INAVGVRATIONE ACADEMIAE IENENSIS.

Primus in hac Academia Philosophiæ, Eloquentiæ potissimum atque Poëseos Professor Stigelius, vt muneri suo satisfaceret, in solenni ista panegyri, præsentibus Serenissimis Saxoniæ Ducibus, Principibus, Comitibus, Nobilibus, & Studiosis, cum recitarentur publice Priuilegia, & Statuta Academiæ Ienensis die 11. Februarii 1558. orationem habuit de Causis, quare constituantur Academiæ, cuius etiam in Annalibus suis ad a. 1558. Müllerus fecit mentionem. Hanc postea typis mandari fecit, atque eam, quam exhibemus, adiecit epistolam. Iterata vice ista fuit excusa, adiectaque Panegyri Actus Doctorei Iurisconsultorum a Nicolao Reusnero celebrati, *Ienæ 1590. 4.*

II. M. ANTONII DOMINICI
DE TREVGA ET PACE.

Doctissimus hic Gallorum ICtus antiquitatis inuestigator egregius, varia publicauit opuscula, atque

atque inter hæc, Tractatum de prærogatiua allodiorum, cuius iteratam editionem Schiltero debemus. Non minoris industriæ est hic libellus, breuis iste quidem, ast egregius ex quo Io. Philippus Dattius facile poterit illustrari, qui libro primo voluminis sui noui Rerum Germanicarum hanc materiam solide pertractat.

III. IO. STRAVCHII
DISSERTATIO DE HOSTENDITIIS.

Litteratus magis quam felix Iureconsultus Strauchius, cuius singula eruditionem spirant atque iudicium. Sepulta fere iacuerunt ipsius diuersa scripta, vsque dum nostro potissimum seculo ab Hambergero, aliisque quasi resuscitarentur. Vix amplius conspicitur, hæc de Hostenditiis, siue servitiis militaribus dissertatio, quæ præsentis est vsus, quam ex genuinis antiquitatum, iuris etiam, potissimum feudalis principiis illustrauit.

IV. PAVLI MARTINI SAGITTARII
DISSERTATIO DE LOCIS SEPVLCRALIBVS SER. FAMILIAE WITTIKINDEAE.

Insignis Altenburgensis Lycei Rector erat Sagittarius, cuius elogium nobis exhibet Fridericus

Gotthelf Gotterus inter elogia clarorum virorum, qui Altenburgum illuſtrarunt, qui etiam alia ingenii ipſius monumenta inſimul indicauit, inter quæ non minimum hoc eſt, quo loca ſepulcralia diuerſorum Saxoniæ Ducum multa induſtria illuſtrauit.

V. MARCI ANTONII DE DOMINIS CAVSAE PROFECTIONIS SVAE EX ITALIA.

Ex Hiſtoria vitæ Archiepiſcopi huius Spalatini ſatis conſtat, qua ratione iſte conuerſationis cum ſexu ſequiori aliorumque criminum inculpatus, Romæque male habitus ad Proteſtantes Londinum abierit. Rationes igitur quæ ipſum permiuerint, publico ſcripto Venetiis die xx. Septembris 1616. propoſuit. Zelum equidem pro antiqua fide Catholica præ ſe fert, licet non ex animi ſententia, id quod euentus ſatis docuit, dum ad Romanorum caſtra iterum tranſierit.

VI. ACTA EXVSTIONIS ANTICHRISTIANORVM DECRETALIVM.

Notiſſimum eſt Lutheri factum, quo varia Papæ ſcripta combuſſit, de quo ipſe narrat in litteris

ris ad Spalatinum ep. CCII. scribens: *Anno M. D. XX. decima Decembris, hora nona, exusti sunt Wittembergae ad orientalem portam iuxta sanctam crucem, omnes libri Papae, Decretum, Decretales, Sextus, Extrauagantes, & Bulla nouissima Leonis X. Item Summa Angelica, Chrysoprasus Eckii, & alia eiusdem auctoris, Emseri, & quaedam alia, quae adiecta per alios sunt, vt videant incendiarii Papistae, non esse magnarum virium libros exurere, quos confutare non possunt.* Idem confirmat SLEIDANVS *Commentariorum libro secundo.* Nullibi vero integrum Processum in hac caussa videmus descriptum, quam in paginis hisce, quae etiam qualis post combustionem Studiosorum Wittenbergensium fuerit petulantia describunt.

VII. DESIDERII LIGNAMINEI SEPVLCRI FACIES M. T. CICERONIS.

Celebris apud Siculos non solum, sed Venetos etiam olim fuit Lignamineorum familia, e quibus hic Desiderius Patauinus erat, in Monasterio DD. Ioannis & Pauli apud Venetos, primum viuens, inde Patauium in Monasterium D. Augustini delatus. Hic primum de sepulcro Ciceronis in

insula Zacyntho reperto, singulari epistola ad Io. Bapt. Priuitellium scripta, a. 1647. commentatus qua figuram reperti monumenti insimul exhibet. Huius epistolæ etiam Cl. Fabricius Bibliotheca latina lib. I. c. VIII. p. 91. facit mentionem. Excepit eandem alia epistola ad Hieronymum Mercatellum scripta, qua dicti monumenti explicationem adgreditur. Vtrasque hic exhibemus. Mirum tamen, sedulum alias monumentorum veterum scrutatorem Iacobum Sponium dum in Itinerario suo Orientali Zazynthum insulam *Tomo I. p. 108.* describit, nullam huius monumenti facere mentionem.

Quod si hæc quæ nunc exhibemus, haut displicuerint, reliqua etiam Bibliothecæ nostræ opuscula, haut vbiuis obuia, publico haud denegabimus.

I. IO.

IOANNIS STIGELII EPISTOLA

CONTINENS

DESCRIPTIONEM POMPAE, ET SPECTACVLORVM, QVAE CELEBRATA SVNT IN PROMVLGATIONE PRIVILEGIORVM ACADEMIAE IENENSIS,

SCRIPTA

AD

IOANNEM MARIVM SCAEVOLAM.

IENAE MDLVIII. 4.



AEpe mihi in mentem venit eius temporis, doctiſſime Mari, quo in comitiis illis maximis, quæ præſente Imperatore Carolo Quinto, Ratisbonæ celebrabantur, in amicitiam tuam aliorumque exterorum hominum eruditione præſtantium, receptus ſum, ſoleoque mecum commentari tum alia ingenii tui ſagaciſſimi, tum hoc dictum in primis mihi hoc tempore frequens ob oculos atque animum, quod dicebas, videri tibi in iſtis Regum atque Principum diſſidiis veram amicitiam e rebus publicis pulſam, prope eadem ratione confugiſſe ad eruditorum vmbratilem & quietam conuerſationem, qua olim ab imperiis fugientem Poetæ canunt ad ruſticos homines, atque ſimplicioris vitæ cultores, in agris diuertiſſe iuſtitiam. Erant tum ea tempora, quibus hæc ſimilitudo congruebat, tametſi non ſine gemitu ac crebris ſuſpiriis eruditorum, qui periclitari pacem

 dolebant,

dolebant, & euentum ex præsenti rerum statu metientes, bella intestina Germaniæ, quæ non multo post subsecuta sunt, metuebant. Verum, mi Scæuola, hæc cogitanti mihi, ac memoria repetenti, hoc tempore accidit, vt te animo meo desiderem sæpe, & non sine magno dolore coniectura prouidere cupiam, quid tandem, si Deus nos hoc tempore in colloquium coniungat, reliquum nobis sit, quod de eruditorum amicitia commentari possimus. Quis enim vel leuiter tinctus literis, non intelligit, ac dolet etiam, Spiritus istius mendacis & homicidæ insidiosum conatum, & astutiam formidabilem, qui omnes vires suas intendit in id, vt distractis eruditorum animis atque voluntatibus non modo tenebras offundat luci doctrinæ de Deo, & voluntate eius, erga homines, sed etiam peruicacia contentionum, artium omnium bonarum & vtilium contemptum, atque interitum importet. Qua de re, si liceret mihi ita prolixe dolorem contestari meum, vt periculi magnitudo postulat, non deesset mihi oratio, quæ & satisfaceret piorum iudicio, & nequaquam metueret maleuolorum insaniam. Sed hic, quid aliud fieri oportet, quam quod in magna iactatione tempestatis marinæ, faceret quisque bonus, nimirum vt ad Deum in ipso periculo precibus confugientes, mitigationem calamitatum petamus, & a posteritate, si quam Ecclesiæ dabit Deus, rectiora iudicia, cum detestatione calumniæ, expectemus. Cum autem in eo viuam Gymnasio quod singulari Dei prouidentia, aduersissimis Ecclesiæ Dei temporibus, ante decennium est constitutum, nuperque auctum immunitatibus ac beneficiis imperatorum, doctissimisque professoribus insignitum, qui amantes concordiæ verum decus artibus, veram gloriam Deo, quantum per ipsos fieri potest, asserere student, nequaquam me pœnitet, vel tenuiter didicisse literas, & in eorum numero haberi, qui literas amant, dum frui mihi licet horum commercio, quibus ob morum candorem non cupiunt inuidere boni, ob animi rectitudinem non possunt nocere mali. Cordi vero mihi est hoc loco lubentius viuere quam alibi, tum quod assueuerim

his

his locis, ab initio huius Academiæ operis scholasticis adhibitus, tum quod amorem patriæ, quæ mihi in Thirigetis est, ex quo aliquid iudicare potui, semper prætulerim vel alibi prolixe blandienti fortunæ. Sed & optimorum Principum pietas ita me semper tenuit, vt nullius loci dignitas aut fortuna mihi potior esse potuerit. Delectat etiam me loci amœnitas, montium iugis, & conuallium recessibus, & fluuii mediam hanc vallem diuidentis, pulchritudine, mirifice arridens liberioribus animis, naturæque ornatum, in tot spectaculis rerum admirantibus. Nam vt taceam hortorum pratorumque illecebras & blandimenta, quibus affatim Musas & Charites inuitari dixeris, quanta sit vinearum de montium iugis, de rupium flexibus, de collium apricis tractibus & sinibus pulcherrimo naturæ theatro pendentium, amænitas, non nisi Musæ ipsæ satis pro dignitate; sermone explicarint. Mihi profecto perreptanti hæc loca, ipsarumque vitium satus, culturam, atque incrementa, consideranti, persæpe iucundissima illa Imago ob oculos versatur, qua se viti similem pingit, ac generi humano proponit filius Dei, vt agnoscamus ei nos esse implantatos surculos ac palmites, fouerique patris cœlestis prouidentia, & cura, gerentis munus operosi agricolæ, & huc intenti maxime, vt fructus in hac vinea, quæ Ecclesia est, ad colligendam filio sempiternam hæreditatem, feramus. His igitur spectaculis, dum licet, sæpe fruor, semoto animo ab iis quæ perperam geruntur vulgo, simulque memoria repeto, superiorum temporum candorem, ac mitigationem doloris tum in consideratione prouidentiæ Dei, tum in recordatione piorum amicorum quæro. Hæc res causa est, quare & tui, quem scio veritatis in omni doctrina amantem esse, sæpe soleam recordari, & hoc ipso tempore ad te peculiariter scribere in animum induxerim. Nam cum ante paucos dies magno adparatu publice ad populum recitarentur Priuilegia (Ita enim adpellari consuetudo obtinet) huius Academiæ, commode sese occasio tulit, vt & aliud ἀπόφθεγμα tuum recordarer non iam cum dolore, sed cum lætitia,

& animi gratulatione singulari. Erat hoc quarto Nonas Februarii, cum in amplissimo consessu Principum, Comitum, Nobilium, Eruditissimorumque virorum, audiremus eloquentia singulari publice promulgationi exordium facientem, Illustrissimum Principem Ioannem Fridericum Secundum, eius Electoris Saxoniæ filium, cuius in asserenda veritate verbi diuini, constantia incomparabilis, orbem terrarum admiratione impleuit. Subiecit enim mihi hoc ipsum spectaculum Herois virtute, pietate, eruditione & eloquentia præstantis, tui memoriam, qua grauissimæ sententiæ tuæ non oblitus, memineram, te, cum ad Danubii ripam, id quod sæpe facere solebamus, animi causa, & colloquii gratia, deambularemus, affirmanter pronunciare, omnium in Europa Principum, (de exteris enim ac barbaris, maximeque iis qui Christianum dogma non agnoscerent, erat inter nos disceptatio, an præter Tyranni adpellationem, aliud nomen illis deberetur) præstantissimos esse Germanos, eos nimirum, qui literas & has nostras togatas artes didicissent. Nam a natura illis inesse generosam & vere Heroicam indolem, vimque ad omnem habitum virtutis ex sese præstantem, ita lubens concedebas, vt non negares propagata esse a Germanis quasi semina Heroicarum virtutum, in multis Hispanicis & Italicis Principum familiis, cum ductis quasi coloniis, in istis locis Theutones olim consederint: sed hoc & animi robur, & ingenii acumen, literis non imbutum, superari contendebas ab istis, qui sese iam inde a pueritia optimis disciplinis, studiisque eruditionis dedidissent, cum eruditione vero coniunctum, merito antecellere aliorum omnium dignitati & laudibus. Declarabas rem exemplo Friderici istius, Ducis Saxoniæ, Electoria dignitate laudatissimi, qui magno consensu omnium bonorum virorum, sapientis nomen obtinuit, Eum aiebas adulescentulo tibi visum, cum Imperatore Maximiliano, & postea propius cognitum in certamine de Electione Imp. Caroli: affirmabas eius solius autoritate Imperii vires iam prope laxatas, conseruatas esse: eius singulari, & vulgi iudicio minime conspicua

sa-

sapientia, ad summum imperium orbis terrarum euectum esse Carolum: quam in illo fuisse negabas, sine cognitione literarum, & earum artium, quæ eruditionis possessionem tribuunt. Fuit ille re vera vir summus, ac artes ingenuas, quarum causa Academiam ad Albim constituit, præclare intellexit, eloquentia & eruditione nequaquam vulgari præditus, cuius gloria non abolebitur, donec hoc pulcherrimum theatrum circumfusi aeris & cœli, de terris aspicient homines, sed si hoc quem dixi, die, fuisses mecum Scæuola, exemplum eruditi & eloquentis Principis Germani vidisses lætabundus, & ego quidem, vt tum solebam, de Cæsare, prouocatione mea Siculam istam Musæ tuæ, venustatem & suauitatem, in huius Principis laudem excitassem. Placuit itaque mihi, ad te perscribere ipsius conuentus historiam, non eo genere dicendi, quod ad rerum scribendarum dignitatem recte adhibetur, sed sicut solemus in Epistolis nuda & simplici oratione, vt vel hoc modo tecum colloqui viderer, tibique subiicerem materiam historicis tuis libris minime indignam. Neque enim feceris imprudenter, aut etiam immerito, si honorificam mentionem domus Saxonicæ monumentis tuis ad posteros consecraueris, quod ea & necessitudine quadam attingat Cæsareæ maiestatis sublimitatem, & tum imperio Romano, tum Illustrissimæ domui Austriæ multa præclara beneficia præstiterit.

Iam communis fama atque sermo diuulgauerat Academiam ab Inclyto & sapientissimo Cæsare Ferdinando, de assensu fratris inuictissimi Rom. Imperatoris Caroli, immunitatibus atque beneficiis liberalissimis esse donatam confirmatamque. tenebat rei nouitate animos hominum suspensos, cupiditas cognoscendi, tum Imperatorum voluntatem, tum ingeniis ac studiis literarum, propositam vtilitatem. Erat in expectatione aduentus optimi Principis Ioannis Friderici Ducis Saxoniæ, qui se interfuturum promulgationi publicæ per literas significauerat. Magno concursu non ex finitimis modo regionibus, sed etiam ex compluribus exteris ciuitatibus populus confluxerat. Igitur Calendis Februarii

bruarii post meridiem, omnem cœtum qui hoc loco iurisdictionem scholasticam agnoscit, in procinctu esse, aduentumque expectare Principis iubet, Academiæ Rector, Ioannes Schroterus Medicinæ Doctor, cognitione & vsu artis istius, celeberrimus, quo legato ad Regem Germaniæ, pro impetrandis Priuilegiis Princeps fœliciter vsus fuerat. Is in apertiore campo ad excipiendum principem, idoneum arbitratus locum, educturus erat agmen scholasticum, sed quæ Principis est mansuetudo & lenitas, Vlterius quam ad id spacium, quod intra suburbium & oppidum portæ, & fossis proximum est, procedere non permittens, ibi designari colloquio locum iubet. Nec multo post obuiam missis a senatu armatorum ciuium aliquot cohortibus, in via publica exceptus, cum insigni & copioso equitatu ipse adueniens, vt professorum agmen & cœtum scholasticum conspicit, incitato equo extra ordines appropinquat, singulos ex professoribus benigne salutat, & comiter adpellat. Ibi Rector, vt erat constitutum, nomine cæterorum, cum gestu & vultu decente, & oratione accomodata, excipit principem. Quamquam, inquit, Princeps Illustrissime, labefactatio religionis & imperiorum, quæ & crebra est hoc tempore, & impendere videtur horribilior manifesto argumento est, non procul abesse extremum mundi diem, vt verendum sit hoc nostro tempore, longe atrociores vastationes præ foribus esse, quam fuerunt vnquam: Sicut & Filius Dei prædicit, fore vt gens insurgat contra gentem, & regnum aduersus regnum, talisque accidat afflictio, qualis non fuerit ab initio mundi, Tamen in hac consolatione acquiescendum est piis omnibus, quod idem Filius Dei Redemptor & Saluator noster Iesus Christus, etiam in confusione rerum omnium maxima, conseruaturus sit cœtum aliquem, qui re vera & esse & dici possit Ecclesia, in qua pura doctrina Euangelii explicetur, sicut idem affirmat, cum inquit, Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi. Cum itaque verissimum sit, Ecclesiam Christi mansuram esse, etiam inter extrema pericula, necesse est etiam Gymnasia & scholas constitui, in quibus literæ & bonæ artes

tradantur, & exerceatur linguarum cognitio, cum linguæ & artes inſtrumenta ſint docendi & explicandi, quibus illuſtratur & propagatur gloria Dei inter homines. Requirunt autem ſcholæ & Gymnaſia, hoſpitia, tranquillitatem, & defenſionem, Ideo Deus omnibus ætatibus ſingulari prouidentia excitauit, & nunc quoque excitat, pios Magiſtratus, quorum præſidio & clientela conſeruentur literæ atque artes, ad propagationem verbi diuini neceſſariæ. Nec obſcurum eſt eodem conſilio maiores tuos, Patrem, teque ipſum, ac fratres tuos, qui ex hac parte illuſtriſsimæ domus Saxonicæ hiſce extremis mundi temporibus velut ſalutaria ſydera eluxiſtis, diuinitus excitatos atque accenſos, certa hoſpitia ſynceræ & puræ doctrinæ de Deo, & cognitioni liberalium artium, magna liberalitate conſtituiſſe, fouiſſe ſumptibus & præſidio, ex quo factum eſt, vt in regionibus ueſtro imperio ſubiectis, decus veræ religionis, licet ſæpe varie oppugnatum, multis annis conſeruatum, ac propagatum ſit. Quanquam enim eo tempore, quod ſingulari quodam fato Germaniæ ante decennium, ob communia hominum delicta, eam ſpeciem publicæ mœſtitiæ præſeferebat, vt a pleriſque deſperata pace conſilia varie inflexa inirentur, res eo ſpectare eſt viſa, vt viderentur omnia vna cum doctrina verbi diuini, in extremo diſcrimine verſari: Tamen mirabili mitigatione impendentium pœnarum & calamitatum, in mediis ærumnis aduerſus diabolum & hoſtes Chriſtiani ſanguinis, non modo puritas doctrinæ Euangelicæ confeſsione & conſtantia ſummi Principis patris tui, diuinitus conſeruata ac propagata eſt in orbem terrarum, verum etiam in tantis periculis diuino auſpicio hæc Academia futurum domicilium docendæ veritatis, futura teſtis ad poſteros raræ & admirandæ conſtantiæ, futura denique plantarium bonarum artium, fœlici incremento conſtituta eſt. Quod cum ita ſit, Deo omnipotenti patri æterno Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt conditor & conſeruator rerum omnium, & Eccleſiæ ſuæ, vna cum dilecto filio ipſius Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto, toto pectore gratias agimus, pro hoc ingenti & ineſtimabili beneficio,

&

& vera inuocatione oramus, vt eius diuina maiestas & omnipotentia hanc Academiam vna cum Ecclesiis harum regionum benigne conseruet, omnemque discordiam & distractionem voluntatum & animorum procul hinc arcere dignetur. Cum autem Illustrissime Princeps & tua celsitudo, & generosissimus Princeps Dux Guilielmus frater tuus, vestigia summi viri, parentis vestri, maiorumque vestrorum magna cum laude secuti ea, quæ in commodum huius Academiæ pulcherrime cepta fuerunt, præclare absoluere, & ad propositam sapientissimi consilii metam, deducere studeatis, non deterriti magnitudine sumptuum, molestiæ & laborum, quæ vobis hoc nomine satis copiose accidunt, agimus & habemus syncero animo gratias maximas, primum Deo æterno & omnipotenti, qui animos vestros ita flectit atque gubernat, vt exemplo maiorum vestrorum a vera confessione sacrosancti & iustifici verbi diuini non discedatis, sed nutricii Ecclesiæ vero encomio maneatis. Deinde vobis quoque gratias pari studio agimus, quod hoc summo loco atque ordine nequaquam vos pudeat, Ecclesiæ & scholarum patronos appellari. Lætamur vero toto pectore optato aduentu celsitudinis vestræ, Deumque oramus, vt hic vester ingressus in hoc oppidum, Ecclesiæ Christi & Reipublicæ, ad decus, & salutem, fœliciter eueniat. Ad hæc quod restat memores officii nostri vestræ celsitudini nos, & hunc cœtum in benignam clientelam & defensionem commendamus. Ad hæc Princeps, quod pro tempore satis arbitrabatur, respondit humaniter, & detecto capite, vultuque ad comitatem liberaliter composito, in hunc modum est locutus. Rem quidem se ita habere, nec aliter, esseque omnino in honorem Dei solius ab initio constitutum hoc Gymnasium, vt inde bonarum artium opera atque auxilio, tum vera Dei agnitio, tum honestatis & virtutis studia propagentur ad posteros. Ideo se & lætari fœlici successu, & gratulari Ecclesiæ, si quid commodi & boni inde vel percepisset, vel in posterum perceptura esset, nec defuturum se liberalitate & fauore, tum vtilitati publicæ tum priuato singulorum labori & studio,

dio, & hoc ipso tempore se aduenisse vt animi sui ac propensæ voluntatis inductionem publice declararet. Hac voce gratulabundis animis viritim accepta, datur signum, tubarum circum clangentium sonitu: versus oppidum pompa procedit: iubente Principe, quæ est eius singularis modestia, agmen literarii ordinis, præcedente Rectore & Professoribus, præmittitur. Cuius cum hæc esset ratio, vt tres coniuncti seriatim incederent, & non modo magna copia hospitum, tum eorum qui de suggesto in vicinis regionibus docent Ecclesiam, tum eorum qui ex Academiis aliis, nouarum rerum cupidi aduolitauerant, se nostris officii causa adiunxissent, accidebat, vt omne id spacium, quod a foro ad portam vsque per satis longum vicum porrigitur, compleretur prolixa serie ordinis scholastici. Erat hoc festiuum & periucundum spectaculum, cernere in numerum stantes tot senes, eruditione, pietate, sapientia, præstantes, & spectare ingredientem Principem cum suo comitatu per medium quasi chorum eruditorum hominum, vultus ac gestus significatione reuerentiam maiestati ab ipsa porta vsque ad diuersorium, continuo ordine exhibentium. Ingrediebantur primo agmine magna pars equitatus, more Germano, Comites, & proceres, & equestris ordinis homines, ætate & meritis præstantiores, quos subsecuti, ante Principem equis ibant, qui velut classicum intonantes grandiora pulsant Tympana, quibus ab aheno, quod obductum membrana, sonum concipit, inditum est nomen: Deinde tubicines, qui buccinarum & tubarum sono, iucundum tonitru numerosi clangoris seriatim exprimentes, omnia tremuli carminis lætifico murmure replebant. In medio agmine Princeps ipse generoso inuectus equo, ad latera ducebat, fratrem Guilielmum, Ducem Saxoniæ, Principem ætate florentem, animique fortitudine ac corporis robore præstantem, & Ernestum, Principem Hennebergensem, prouectioris ætatis, filium Guilielmi Hennebergensis, qui pietatis & sapientiæ laude celebris est. Hoc loco in laudem huius familiæ, non omittendum censeo, eius originem & Romanam, & peruetustam esse,

Traditur enim circiter annum Christi 455. occupata Roma a Vandalis, quod extremis Valentiniani temporibus contigisse produnt historiæ, quendam Romanæ stirpis procerem, cui Gentis nomen de columna fuerit, tutiores sedes quærentem, in his montium iugis, vbi nunc ditio est Hennebergensium, consedisse, locoque ab augurio ex volatu auium capto, nomen dedisse, eius rei argumentum esse, insigne Gentis, gallinam in montis cacumine constitutam. Quid si verisimile videatur, hanc Gentem, cum nobilitate Theodorici Bernensis, Regis Gotthorum, in hæc loca propagatam esse, quem circa eadem tempora, aut paulo superiora, Regi Thuringorum, neptem ex sorore in matrimonium dedisse, scribitur. Quidquid huius est, hanc memoriam Annalium, huic familiæ indecoram esse non arbitror, cum priscæ virtutis, & grauitatis laude, non cedat vlli prosapiæ. Tertius Frater Ioannes Fridericus non erat in hoc cœtu, sed suo stipatus equitatu, aliquot horis præuenerat. Ibant vtrinque satellites & cursores pedestres, tum ii, quibus armatæ custodiæ sunt commissæ, tuum ii, quibus data est cura obseruandi Principem. Proxime incedebat flos nobilitatis, & Tyronum ordo, qui stipendia merent apud principem. Nouissimum agmen claudebat equitatus reliquus ministrorum, longo agmine, armorum splendore, & equorum fremitu adplausum populi auferens. Hos omnes subsequebantur pedestres copiæ militari habitu, scloppisque ac lanceis instructorum ciuium, ad incessum Ducis & signiferi explicatum gerentis vexillum, decenti motu ingredientium. Hii Principe hospitium ingresso, instructa in foro acie, factisque militaribus cursitationibus simulachrum pugnæ exhibebant, armorum sonitu, sclopporumque ictibus, & sublato clamore, lætitiam publicam contestati. Ad hæc spectacula accedebat etiam hoc, quod e Tyronibus equestris ordinis, vt quisque equitandi peritiæ maxime confidebat, ita statim in ea area cataphractus se ostentabat, quæ arena sparsa, in proximam diem, hastis concurrentium certamina erat exceptura. Dum hæc geruntur, prope iam ad vesperam subducente se die, excubiæ

pro-

prodeunt. quisque hoſpitium ſuum repetens, magna tranquillitate, epulis ſe ac quieti dedit. Poſtero die, ſub auroram, cum de templo, campanæ pulſu, daretur ſignum, Rector, profeſſores, cæterique doctores & magiſtri, omniſque cætus ſcholaſticus, ex Salana (ea eſt ædium Academiæ appellatio) ternis pariter incedentibus, egreſſi, longo agmine ad ædes in quas diuerterat Princeps, procedunt, ibique Principem debita reuerentia præſtolantur. Eo prodeunte, cum fratribus duobus, & Hennebergenſi, omnique comitatu aulico, procedit pompa Scolaſtica, qua via ad templum ducit, quod e regione fori, auguſta forma conſpicuum, tectis arduum, ac turri ſublimi inſigne, quadrato lapide conſtructum, ſpeciem habet contemplatione dignam. Ad valuas templi cum eſſet ventum, pompa ſubſiſtit longa ſerie de via cedens, ac locum ingrediendi, Principi relinquens. qui nutu comiter ſalutatis Profeſſoribus, prætonante Tympanorum, & tubarum ſono, in templum ingreditur, ſubſequente comitatu Aulico, ordine Scolaſtico, longoque ac denſo agmine promiſcuæ multitudinis. Quà templi locus eſt interior, verſus Solis ortum, & eminentior, Tapetibus ſuſpenſis, & compoſitis puluinis, adornatum erat magnifice theatrum, vnde audiri vox atque ſermo in reliquis partibus templi commodius poterat. Hic cum Principes, ac cæteri ordines, ſuo quiſque loco conſediſſent, & organi muſici ſono faciendis precibus ſignum eſſet datum, prohemio cantici, quo ſpiritus ſancti auxilium imploratur: Surgens, Dux Ioannes Fridericus Secundus, compoſito ad lenitatem ac grauitatem vultu, oratione latina, alloquitur ordinem ſcholaſticum, quæ etſi data opera, prolixitatem non habebat, erat tamen ita concepta verborum delectu, temperata affectibus, concinna periodis, condita ſuauitate ſententiarum, plena grauitate rerum, vt eius gratiam ne quidem extrema, quod aiunt, linea attingere noſtra poſſit infantia. Erat tamen hæc fere rei ſumma. Quoniam exemplum maiorum ſuorum, patris maxime, ſecutus, iam inde ab initio ſuæ gubernationis vna cum fratribus in id operam dediſſet, vt veram de Deo doctri-

nam & recta studia bonarum artium, conseruaret ac propagaret, eóque nomine & Academiam Ienensem auxisset professoribus & Salariis, & hoc tempore cum fratribus coram adesset, vt accepta ab Inclyto Cæsare Ferdinando, Rege Rom. Priuilegia, publice donaret ac traderet Academiæ: precari sese, vt id omne, fœliciter Ecclesiæ & Reipubl. eueniat, hortarique tum professores, tum senatum oppidanum, vt studio concordiæ, acceptum decus custodiant, vt habeat hoc quoque in loco hospitium filius Dei, ex quo vox eius, studio annunciantium pacem, audiri, iucundeque sonare ad posteros possit. De hac principis oratione diligenter percontatus, reperi eam literis non fuisse consignatam, sed ad occasionem ex tempore ita conceptam, id quod eruditorum adplausum & venerationem erga Principem, mirifice auxit. Hic sermo cum magno silentio exceptus, vim sensus sui, Periclæo more, in audientium animis reliquisset, prodit ex iis vnus, qui principi sunt a consiliis, legum ac iuris Doctor, & ex diplomate Regio, longo sermone ipsa Priuilegia recitat, quæ & propensissimam voluntatem Imperatorum erga Duces Saxoniæ Fratres, & eas omnes immunitates, dignitatesque complectuntur, quæ in Italia, Gallia, Germania, Imperatorum autoritate olim constitutis ac confirmatis Academiis, liberalissime sunt concessa. His recitatis, clariss. vir, Christianus Bruck, Iuris vtriusque Doctor & apud Principem Cancellarius, vt habebat in mandatis, animum principis declarandi causa, orationem habuit lingua vernacula amplam & splendidam, rerumque pondere grauem & magnificam. Est enim vir ille non modo ad singularem dicendi facultatem, verum etiam ad omnia summa natus, ingenio amplo, animo magno, & ad grauitatem, dignitatemque composito, non modo literis illis nostris, sed etiam virtute atque prudentia ornato atque exculto. Eum cum præfatione honoris, vultusque ac corporis habitu decenti, in hunc modum locutum esse recordamur. Ex sermone illustrissimi Principis percepisse, ac liquido cognouisse omnes, quo consilio & animi inductione singulari, amoreque erga Deum ardenti, laudatissimi heroes,

Duces

Duces Saxoniæ, imperiique Electores, horum Principum maiores, ac ipse horum etiam pater, quem honoris causa nominet, veram & immutabilem doctrinam, salutaris & saluifici verbi diuini, diuino aspirante fauore & auxilio, non modo in suis regionibus, & ditionibus, verum etiam in diuersis orbis terrarum partibus, vna cum studiis honestissimis literarum bonarum atque artium, virtutis & honestatis, ope atque auxilio iuuerint, transplantare ac propagare studuerint, non sine periclitatione fortunarum & dignitatis. Non enim obscurum esse Illustrissimum ac laudatissimum Principem Ioannem Fridericum, horum Principum patrem, optime meritum, ita propter communia hominum delicta, & publicam erga tot cœlestia beneficia ingratitudinem, permittente Deo, ob Christianæ fidei aduersus pontificium furorem, assertionem, in extremum discrimen periculumque corporis & vitæ, fortunarum & dignitatis incidisse, hæsisseque ad tempus, ita vt incomparabili damno iacturam fecerit auitæ & hereditariæ dignitatis Electoratus, accepto detrimento non solum suo, sed & fratris, & liberorum, ad quos successio eius summæ dignitatis iure pertinebat. Nec illud egere testimonio, cum cum in tanto infortunio, afflictione, rerumque suarum angustia ac periclitatione, se suaque omnia benignæ voluntati Dei, æquissimo animo commendasset ac permisisset, in talibus ærumnis mutationibusque gubernationis suæ, non minus singulari sapientia, & pio consilio, puræ Euangelii doctrinæ conseruandæ ac propagandæ causa, ante paucos annos publicam hanc Scholam ad ripam Salæ, in ea parte ditionum suarum quæ diuinitus relicta ipsi ac conseruata fuisset, bonis auspiciis inchoatam, clarisque doctoribus, & in primis verbo dei constanter adherentibus, necessariisque sumptibus quoad vixisset, ornatam, constituisse ac fouisse. Huc accedere, quod eo viro ac principe tanto, e viuis sublato, ipsi fratres gloriæ paternæ & gubernationis hæredes, statim ac administrationem Reipubl. suscepissent, in honorem dei, in salutem commodumque patriæ ac posteritatis, eandem Academiam numero

plurium eruditorum, & in singulis vt vocant docendi facultatibus celebrium professorum, accessioneque sumptuum, liberaliter adauxerint atque locupletarint. Compertum enim habere optimos principes, docente experientia in quottidianis negociis, nec sine dolore ingenti ac sollicitudine didicisse, quantopere Diabolus sub hanc decrepitam senectam mundi, omnibus viribus suis in id incumbat, & ibi astutia, dolis ac fraudibus, totus sit, vt omne consilium iuuandi ac propagandi veritatem puræ doctrinæ, conseruandique tum decus Ecclesiæ Christianæ, tum disciplinam & honestatem, & ingenuarum artium studia, interturbet, impediat, & euertat, meditatus omni momento, & Ecclesiarum & scholarum, Rerumque publicarum vastationem, ac ruinam. Adhæc, præclare intelligere Principes publicas Academias, Christiano more constitutas, non modo adprobari a Deo, sed Ecclesiæ Christianæ magno esse emolumento atque auxilio, ex quibus Deus subinde non modo ministros verbi sui fideles & constantes, Doctoresque excellentes, sed etiam alios varia eruditione donatos, & ad diuersa munia atque officia in ciuili societate, & statu politico, idoneos, singulis temporibus excitat & suppeditat, quorum opera ad conseruationem externæ disciplinæ, honestatis, boni publici, gubernationis politicæ, necessaria est & salutaris. Iccirco Illustrissimum Principem Ioannem Fridericum Secundum, ad quem gubernationis cura nunc pertineat, vna cum dilectis fratribus, considerato officio suo diuinitus sibi commisso, intelligere & perpendere, omnibus modis ad se pertinere clientelam huius Academiæ, omnemque curam, qua ea pro statu præsenti & fortuna eius fratrumque, foueri, ornari, & conseruari possit. Id consilii fuisse, quare hoc tempore nihil sibi reliqui faciendum putarit, quod ad humilem intercessionem ad Maiestatem Regis Romanorum, impetrationemque Priuilegiorum pertineret, obtestatione facta, vt ipsa Maiestas Regia, autoritate Imperii Romani, qua eminet, & potestate, Academiam hanc pari liberalitate, qua aliæ in Imperio Romano, Germanicæ & Italicæ

Na-

Nationis donatæ ſunt, Priuilegiis, immunitatibus, beneficiis ornaret, donaret, atque in perpetuum confirmaret. His ex animi ſententia de liberaliſſima clementiſſimaque voluntate Regiæ Romanæ Maieſtatis impetratis, eundem Principem, ac fratres eius illuſtriſſimos pro ea animi inductione propenſioneque voluntatis ſummæ, quam haberent erga collegium huius celebris vniuerſitatis non voluiſſe omittere, quin ipſi hæc beneficia, omnibus vſitatis, neceſſariis, fide dignis ſolennitatibus, clauſulis, ſubſcriptionibus, adpenſoque imperiali ac Regio ſigillo, aliisque huc pertinentibus ſignis, indiciis, teſtimoniis, decorata, munita, confirmataque, Senatui, ordinique profeſſorum, omnique cœtui Scholaſtico, loco honorarii muneris, a propenſiſſima voluntate profecti, ſua præſentia offerri atque tradi curarent. Inſuper audiſſe & conſules oppidi & ſenatores, reliquamque multitudinem ciuium, ex eiusdem Principis oratione, cum hoc eius laude digniſſimum inſtitutum, ad hunc finem ſpectet, vt non modo clariſſimæ Academiæ, ſed etiam vniuerſis & ſingulis ciuibus eorumque poſteris ad incrementum gloriæ, publici boni atque commodi, eueniat, quam clementer & ſerio eius celſitudo omnes oppidanos, ad beneuolentiam erga hoſpites, ad tranquillitatem & concordiam cohortata ſit, flagitans a ſingulis erga Rectorem, Doctores, Magiſtros, Profeſſores, omnesque qui ad cœtum ſcholaſticum pertinent, reuerentiam & officium, vt ita ſe gerant erga hoſpites, ne humanitatis ſigna, hoſpitalitatis iura, amicitiæ officia, deſiderari in iis poſſint: Idque inſuper vniuerſis ſit curæ, vt peregrini ſcholaſtici & hoſpites facile ac benigne excipiantur, hisque æquo & tolerabili precio & hoſpitia & victus, ſine tergiverſatione, & captatione lucri, præbeantur, omninoque ciues ad hoſpitalitatem, quæ vetuſtiſſimis temporibus non apud Chriſtianos modo, verum etiam Ethnicos homines ſemper laudi data eſt, prompti ſint & faciles, in eaque exercenda, non ſolum animi ſui inductionem ac propenſam voluntatem erga ſtudia literarum laude digniſſima, declarent, Sed officiis etiam ac opera conte-

ſta-

ſtatum faciant, ſe magis cupere ſua humanitate & officio adiuuari ac promoueri bona ſtudia, quam data opera impediri ac profligari. Vt autem hæc vniuerſitas immunitatibus atque beneficiis aucta, in poſterum fauore atque auxilio Diuino incrementa, ornamentaque indies magis atque magis accipiat, creſcat adoleſcatque in gloriam Dei, eaque omnia quæ ad perturbationem legum ac diſciplinæ, ad iacturam dignitatis & autoritatis, præbere occaſionem aut vllam cauſam afferre poſſint, procul arceantur & caueantur ratione ac iudicio: duxiſſe Principem cohortandos eſſe Doctores ac Profeſſores Academiæ, vniuerſos & ſingulos, vt conſeruandæ exiſtimationis ſuæ, & vniuerſi Gymnaſii cauſa, in honorem & gloriam diuini nominis, omnibus viribus ſtudeant communi concordiæ, vnanimique conſenſu, ſuo quiſque loco, mutuas operas tradant, nihilque ſtudii & laboris intermittant, vt vaga & inconſulta iuuentus pio conſilio, & ſeuero ſtudio, ad veram notitiam Dei, literarumque & vtilium nobiliumque artium cognitionem inſtituatur atque erudiatur, pro ea ſpe & fiducia, qua Princeps optimus erga vniuerſos & ſingulos affectus, ea ſibi de omnibus polliceretur, quæ ad gloriam Dei & publicam vtilitatem Patriæ, ac ſalutem, pertinere viderentur. Cumque rationem gubernandorum morum, conſeruandæ diſciplinæ & tranquillitatis publicæ, periclitari neceſſe ſit, niſi recte poſitis legibus, quæ anima ſunt ſocietatum, contractuum & communionum, coherceantur inſolentiora ingenia, ſoleatque vſu venire, vt in magno cœtu hominum, prætextu Priuilegiorum ſæpe contemptus diſciplinæ, petulantia & contumacia, ad tumultos publicos incendium præbeat, Ideo Principem quibusdam ſuperiori tempore deliberato conſilio antiquatis & emendatis legibus, noua ac peculiaria ſtatuta, leges, conſtitutiones, ad perpetuam memoriam conſcriptas, & in membranas literis conſignatas, ſigilloque Maieſtatis cauſa, adpenſo, obſignatas, tradi Academiæ, & aſſeruari exercerique mandaſſe. His vt ab omnibus qui iuriſdictionem Academiæ Magiſtratusque oppidani agnoſcunt, quan-

quantum ad singulos pertinebit, præstetur obedientia & fides, flagitare tum Principis autoritatem, tum vniuscuiusque conscientiam. Quanquam vero celsitudo Principis, de omnibus scholasticis benigne sibi polliceatur hanc voluntatem, vt quo quisque est æqui & boni, recti & honesti, studiosior cultor, eo magis existimet eundem non modo ex se intelligere, deberi legitimo magistratui, honestis legibus & constitutionibus, obedientiam & reuerentiam, Sed etiam persuasum habeat, omnes in id daturos esse operam, vt in iis sancte custodiendis & recte colendis, rectitudinem animi ac voluntatis, sua sponte declarent, officiumque necessarium conseruandæ tranquillitati, quam diu hoc loco mansuri sint, libere & non coacte præstent: Tamen operæ precium duxisse, vt etiam nominatim hoc loco publico sua voce atque autoritate commonefierent studiosi. Iccirco se benigna voluntate & serio studio postulare, vt omnes & singuli, qui cupiant ocio literario, defensione, Priuilegiis huius publici & liberi Gymnasii, frui ac gaudere, æquo animo agnoscant gubernationem disciplinæ, seque modeste subiiciant omnibus legibus, statutis, constitutionibus, ad conseruationem huius Academiæ ordinatis atque confirmatis, ne occasio ipsi Principi præbeatur, ita animaduertendi in transgressores, pro ratione delictorum, vt eum contumacia dissolutorum, grauiter offendi omnes intelligant, licet malit pro singulari affectione in omnes, sibi animaduersionis nequaquam præberi vllam vel causam, vel occasionem, vt qui propensissima voluntate ingenuo Principe digna, ita complectatur cœtum scholasticum, præcipueque docentium, ac pro gloria Dei propaganda, omnem diligentiam adhibentium, vt singulorum, commoda, dignitatem, ac fortunas, prouehere, augereque, & omnibus præsidio atque ornamento esse, sit paratissimus. In hæc verba cum concionatus Canceliarius, se mandato Principis ita locutum esse decenter significasset, ac Rectori ipsum diploma, in quo perscripta erat mens atque sententia Priuilegiorum tradidisset, alius ex familiaribus Principis, & is quoque, iuris ac legum

Doctor, Statuta ac leges in publico cœtu sonora voce prælegit ac promulgat, quibus recitatis & ipse αὐτόγραφον Rectori ac Senatui Academiæ tradit.

His peractis, cum expectaretur oratio nostra, quam in ea temporis angustia vtcunque effuderam, prodeunt consules oppidi, cum Scypho argenteo deaurato, amplo & affabre exculpto, eum Rectori vt Academiæ gratularentur iam agnitam dignitatem, dono obtulerunt. Pergrata fuit eorum oratio cœtui scholastico, qua & læticiam suam, ob auctam illustratamque Scholam, præseferebant, & studia sua atque officia liberaliter pollicebantur. Iam & me quasi in scænam vocabat officium, qui vt eram iussus, de constituendis & conseruandis Academiis, de dignitate, & vtilitate artium, de vsu Priuilegiorum, de ratione disciplinæ, verba feci, oratione non quidem polita & conclusa, sed velut in Scholis solemus genere sermonis fuso atque tracto, dissoluto ac remisso. Supremo quasi actu confectis rite omnibus quæ ad solennem publicationem traditionemque atque confirmationem Priuilegiorum pertinere videbantur, Deique laudibus Phonascorum docto concentu celebratis, a templo hospitium versus, profectus Princeps, Professores Academiæ omnes, epulo excipit. Erat huic designatus locus in domo curiali, quæ figuræ quadratæ aspectu, opere lapideo, super duos prolixos fornices, densis ac solidis intercolumniis extructa, satis ampla & spatiosa est, speciem vetustæ dignitatis ostendens. Huc delecti ad commune epulum, ascendunt Principes & comites, succedunt professores & consules. Reliquus enim cœtus omnis qui ad familiam Principum pertinebat, epulabatur in arce. Erat conclaue aulæis vndique tectum, Phrygiis operibus auro & argento intertextis, late resplendens. Et ad parietem suspensa vmbella Holoserica, aureis trabibus distincta, & in margine insignibus auitis artificiose interpicta, sub qua locus in accubatione epulari constratus atque adornatus erat Ducibus Saxoniæ Fratribus, ab hoc loco erat posita mensæ tabula, in longitudinem extructa eam, quæ vtrinque

caperet omnes quos prandere secum Princeps voluerat. Hic discumbitur, adferuntur omnis generis exquisitissimae epulae, opipare & varie instructae, variisque missibus commutatae, etiam deauratae atque pictae. Magno splendore auri & argenti, in patinis, orbibus & poculis, assidentium oculos perstringente, insignique ordine & industria administrantium, qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant, ornatus atque decor conuiuio additur. Maximum tamen decus elucet ex gestu Principum & sermone, grauitate & humanitate colloquiorum suauissimum condimentum admiscentium. Epulati hilarem in modum splendide, & accepti comiter ac benigne, remotis mensis discedimus, quisque in colloquium cum iis amicis congressi, quorum praesentia spem expectationis diuturnae implens, gratissima erat maximeque iucunda. Adornantur interea spectacula equestria, quae paulo post celebrari vidit hic dies, quaeque non modo ad vsurpationem imitationemque vetustatis adumbrata, verum etiam ad vmbram exercitiorum, in exteris nationibus hodie vsitatam, viua vi atque luce certaminum, expressa atque effigiata recte dixeris. Aderat equestris ordo, crebra & frequens iuuentus, ad comitatum aulamque Ducum Saxoniae pertinens, his mira incesserat cupiditas Hasticis ludis experiendi & animi & corporis robur. Sed hoc loco non alienum me ab instituto facturum esse arbitror, si horum Spectaculorum originem, genera, dignitatem & vsum paucis repetam. Notum est vetustatem omnem, quo profundior cogitari potest, eo fuisse gloria equestri illustriorem. Fuit autem hasta commune equitum exercitium, sicut & gloriae parandae peculiare instrumentum. Itaque hastae dignitatem antiquissimam esse, magnoque loco habitam, iam inde a prima belli gerendi consuetudine, Imperiorum prope omnium historiis, quae extant, proditum est. Ideo earum autoritas veteribus insignis fuit, more recepto, vt Regum ac Deorum simulachris, insignium loco, hastae adderentur. vnde ea sunt: simulachrorum hastas motas, hasta donari, sub hasta venire, hastam & caduceum mittere. Vsus

 porro

porro in bellis creber, ludis quoque & ſpectaculis occaſionem præbuit, Inde appellatis haſticis ludis, quod infeſtis haſtis concurrentes equites, ſpecimen impreſſionis equeſtris adumbrarent. Vſum autem huius exercitii euentus præliorum victoria clari in hiſtoriis oſtendunt, eum eſſe, vt denſo & confecto agmine in amplas alas hoſtium haſtati inuecti, impreſſiones faciant confertis viribus, quæ euitari ab hoſtibus non poſſint, & veluti tela fulmine adacta, vel cuneos hoſtium diſſecando interrumpant. Dignum ſane viris exercitium multo magis, quam quod hodie ſclopporum vſurpatione tractatum, non quo ratio ducit, ſed quo caſus rapit, vitæ pericula ſeminat, velut aer hybernus grandines. Etſi igitur hoc genus exercitii antiquitate inſigne atque nobile, apud varias ac diuerſas gentes etiam priſcis temporibus magni vſus ſemper fuerit, tamen a Germanis excultum eſt maxime, tantaque grauitate ac dignitate auctum, vt tanquam grauitatis Germanicæ vetuſtum argumentum, nunc quoque non niſi cum reuerentia virtutis ſpectari poſſit ab iis, qui a virtute non ſunt alieni. Ac veteres duo eius genera vſurparunt, alterum quod cornutis vel coronatis haſtis, alterum quod mucronatis, hoc eſt cuſpide ferratis, committitur. Cui tertium genus adiecit Saxonum Dux Romanorum Imperator Heinricus Auceps, quod non haſtarum miſſione, ſed gladiorum acerrimo conflictu commisſum, ſpecimen ſeueriſſimi prælii equeſtris repræſentat. Hic, vt fuit bellicis ac pacis virtutibus vtrinque excellentiſſimus, ita ſingula iſta genera arte, induſtria, vſu, auxit atque ampliauit. Nam cum circiter annum Chriſti 935. virtute Germanæ militiæ iam deleto numeroſiſſimo Hunnorum exercitu, cladeque irrecuperabili extincto, ſociis belli præmia conſtituens, eius victoriæ famam cum laude & ſtudio virtutis extare ad poſteros vellet, eos, quorum opera in obtinenda victoria præcipue vſus fuerat, ad certaminum ſpectacula inuitans, Magdeburgi, equeſtres ludos Cataphractorum equitum, conſertis gladiis pugnantium inſtituit, quod genus ludorum deinde vſu confirmatum atque ſæpe repetitum,

ali-

aliquot seculis Germanicam virtutem grauitate exercitii custodivit. Sed Hasticorum ludorum hæc est forma atque modus. Eques armatura ex chalybe atque ferro conflata, omnibusque corporis membris adaptata, induitur, in Galeam quoque toto capite incluso, vt nusquam pateat rima, nisi qua oculi prospiciunt, sic cathaphrattus conscendit equum, qui & ipse frontem, ceruicem, atque armos panoplia tectus, lateque per tergus ornatissime (pro vt cuique placet ratione suorum insignium) tectorio picto, eodemque robusto atque aptato munitus, incedit fremebundus, quasi sentiens ad se quoque partem laudis pertinere, quæ a pugnæ euentu expectatur. Ex aduersa parte simili robore instructus aliquis, velut hostis e regione inuehitur, cum armato armatus concursurus. Obequitant suum quique clientem, propinqui & amici, familiari studio operam dantes, vt hastatus recte instruatur. Mox hastæ vtrique traditæ ad latus adaptantur. Datur signum buccinis & tubis & tympanis, conclamatur, magna vi concurritur, magno impetu, dum aut alteruter excussus cadat, aut quod sæpe fit vterque. Cæterum hastarum hæc est ratio; coronatæ vocantur vel etiam cornutæ, quæ ferro præpilatæ, velut pinnulas habent in fastigio, ne facile elidantur, cum in aduersarium immittuntur, His enim petitur armatus non prætenta parma aut clypeo. Mucronatæ dicuntur, quæ cuspidem similem habent ensis mucroni, acutam & penetrabilem, quæ immittuntur in oppositum armati clypeum, sæpe tanta vi, vt traiectæ etiam in corpus adigantur. Illud minus periculosum certaminis genus est, hoc sæpe etiam cum periculo necem attulit. Adeo rem egregiam esse, veram laudem putauit magnanima vetustas, vt vel cum vitæ discrimine virtutem ludis experiendam esse censeret. Sed ad spectacula ista nostra redeamus. Auspicium permissum est Tyronibus, ex nobilitate delectis iuuenibus, florem ætatis, animi magnitudine, vigore & viribus corporis, non æquantibus modo, sed etiam superantibus. Hi, vt suæ pariter & alienæ virtutis periculum facerent, acerrime concertantes, exhibuere ludos,

qui re vera seria duxerunt & spectacula cum essent, ad miracula vsque plebem incitarunt. Per stadium ab his varie decursum, concursum, acriter infestis hastis, quas coronatas diximus, tantoque ardore, vincendi constantia, vt & flammæ ex armatura resilirent, & vel pari virtute ac robore duo confligerent, vel binis commissis vterque etiam collapsis equis præcipites caderent, vel alteruter non nisi colluctatus cum fato suo, ad terram prosterneretur. Erant tamen quibus alea istius certaminis ita fauebat, vt aduersarium vel vna cum equo collapsum, vel longe post equi tergum elisum effuse profligarent. Maximo tamen ornamento his spectaculis virtus ducis Guilielmi fuit, qui eo die & heroici animi & industriæ ac roboris insigne specimen dedit. Est enim in hoc Principe talis animus, qui fortitudinis æmulationem ipse sibi proponat, non expectans cohortantis importunum consilium, existimetque quod alii cum laude fecerint, id non modo imitari, sed etiam superare, suarum esse partium, nec finem virtutis tam gloriam esse, quam gloriæ finem patriæ læticiam & boni publici accessionem. Ita enim fere comparatum est, vt si virtutis amor, leuia ac fluxa ingenia attingat, magnam quidem initio sui cupiditatem excitet, quæ tamen saturatur breui, atque extinguitur, Generosos vero & constantes animos non modo augeat atque ampliet, Sed etiam ad præclara opera, tanquam ignem ad incendia ventus, impellat & commoueat. Adest igitur qui industriam suam & vires opponat prouocanti, Vir equestri familia nobilis Christophorus Harstallus ætate ipsa vt multo superior, florente adhuc annis Principe, & multum in his certaminibus versatus, Ita tamen, quod euentus dedit, Magnanimo meritis & viribus impar Achilli. Progreditur in stadium Princeps, comitatus a fratre, & Hennebergensi, quorum ille scutum, hic hastam honoris causa sufferebat. Ex altera parte ornatissime instructus & Harstallus procedit, ad latus obequitante fratre, Georgio, qui equestri gloria clarissimus, fratrem instruebat. Magna alacritate expectans euentum Princeps, viribus iuuentæ integer, aduersarium

rium

rium inuitare, hortari, ac benigne vrgere, ne sibi dignitatis causa parceret. Sic instructi committuntur, tubis, Tympanis ac buccinis, Germanis vsitato fragore ac sonitu, classicum intonantibus. Iam ad vesperam inclinante die, cum lux imbecillior & circumventa crepusculis, minus claret resilientem ex illisu atque attritu armorum fulgorem, dixisses bellum inter dracones geri, tanto impetu, summis vtrinque viribus ruebant, tantam coruscationem ictus armorum spargebant. Primus conflictus siue pari virtute, siue quod hastae non apprehenderent, irritus fuit. Secunda vice commissi, adeo arcte implicabantur, vt cum equis ipsi equites vnus viderentur esse globus. In hoc conflictu excutitur atque praeceps deiicitur Harstallus, vi & constantia superior euadens Dux Guilielmus, erecto in equo sedens corpore, sublatoque brachio & voce, euentu laetatus, victoriam summamque laudem aufert. Mirum est quantus apud multitudinem clamor sublatus, quantus concitatus plausus insecutus sit, plerisque ominatione magis futurae foelicitatis, quam gratulatione praesentis fortunae, varia acclamantibus laeticia. Hac celebritate extracto die, cum iam aduesperasceret, e foro discessum est. Postero die, quoniam haec spectacula publica in honorem Academiae proposita fuerant, placuit, vt ex nobilium numero, aliquot eruditione ac doctrina ornati, qui non modo familiis, sed etiam literis existimationem suam deberent, in eodem stadio, equestris certaminis exercitio specimen suae virtuis ederent. Erat ea res pergrata scholasticis hominibus, vt quocunque esset sors casura, Musae tamen laetareatur Heroum fauore, cum aliquando repetita ex annalibus memoria, doceri posset, Illustrissimum Principem Ioannem Fridericum, velut Herculem olim, non puduisse μυσαγετὴν fuisse sui temporis, & in argumentum patrocinii militaria spectacula proposuisse publice. Alea itaque ludi committitur duobus aetate prope & corporis vigore paribus, quorum alteri Lucae Danielo, alteri Henrico ab Erffa gentile nomen, vtrique peruetusta Thuringicae nobilitatis origo, nomen ex doctrina Iuris,

quam

quam profitentur, clarum. Hi in vtramque partem tam iis, qui equestri peritiæ omnia tribuunt, quam iis, qui togatas artes anteferunt, occasionem variæ expectationis prebuere. Verum sicut vterque est alacris animo, & viribus integer, Ita non permiserunt virtuti suæ aliquem næuum admisceri, ex negligentia earum rerum, quæ non minus videntur manu, quam consilio regi. Concurrerunt itaque memorabili in vtramque partem euentu & laude, sorte omnino pari industriæ & victoriæ. Nam & pariter icti perdurarunt, neutro collapso, & ceciderunt alternis, & simul deiecti. vt euentus ostenderet, nequaquam esse pluris faciendam rei equestris scientiam, quam doctrinæ atque eruditionis possessionem. Certarunt alii fortiter eodem die, Sed horum duorum virtuti præcipue adplaudens populus, magna cum delectatione spectandi finem fecit. Hæc ad te scribens, commemorare volui, Scæuola, cum ita admoneret recordatio pristinæ amicitiæ nostræ, & vrgeret præsens occasio, scribendi officium ex consuetudine a me flagitans, sub istam verni temporis ad Mœni vadum panegyrin, ex qua commodissime mitti solent Epistolæ ad exteros. Placuit autem de iis scribere, quæ in honorem & commodum rectorum studiorum, Militiæque scholasticæ, gesta sunt, ne quid ad te scriberem, quod alienum videri posset a studiis & moribus tuis, qui cum sis temporum tuorum obseruator atque annotator Eruditissimus, & in scribendis rebus gestis, eius virtutis quæ fidem maxime præstat, studiosissimus, accipies hæc vt confido, non modo in bonam, quod dicitur, partem, Sed ita etiam, vt materiam non immerito celebrandi pulcherrimum consilium atque institutum optimorum Ducum Saxoniæ mihi te debere agnoscas, cum & studium singulare eorum fauoremque erga hanc Academiam & paternam erga literas pietatis virtutisque studia adfectionem intellexeris. Nihil enim hic finit fingere eorum bonitas, quæ vt omnem expectationem vincit, Sic etiam non expectat, dum alii desiderent quidque in iis, officii aut decori, quod ad Principes fere Heroicos pertinet.

Ita-

Itaque ea ſpes, quæ permagna & ampla, iam inde a decem annis in hoc Gymnaſio propoſita bonis literis fuit, hoc tempore aucto docentium numero, collatis beneficiis & immunitatibus cenſuque annuo liberaliſſime conſtituto, non modo augeſcit indies, ſed & ipſa expectationem omnem ſuperat. Confluit enim huc prope quotidie ex diuerſis prouinciis lectiſſima iuuentus, Hebraicæ, Grecæ, & latinæ linguæ ſtudio inuitata, quæ magna dexteritate in explicando publice traduntur. Neque vero tantum linguæ traduntur, Sed quia harum cognitio aditum facit ad artes & profeſſiones, Ita hæ quoque docentur ordine, vt in docendo Methodus ad eruditionem neceſſaria recte obſeruetur, & diſcentium ingenia ſimul erudiantur vera & pura doctrina de Deo, quam ex ſinu æterni patris attulit Chriſtus filius Dei, omniſque explicatio ex veris fontibus ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum petatur, omiſſis interpretationibus, quæ pugnant cum norma veritatis, in adprobatis Bibliorum libris, piorumque conciliorum decretis tradita. Nam hanc ſummam doctrinæ confeſſioniſque noſtræ profitemur, quam ipſe Filius Dei, Apoſtolis propagationem doctrinæ committens, complectitur, cum iubet, in ſuo nomine doceri pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Hæc Chriſti doctrina ita in hac ſchola explicatur docendo, vt ſuo loco oſtendatur aliam eſſe legis, aliam Euangelii doctrinam, Ex lege peccati magnitudinem iramque Dei agnoſci, Ex Euangelio doctrinam iuſtificationis adprehendi, qua Deus agentes pœnitentiam pronunciat iuſtos ac recipit, propter ſolum filium, paſſum, mortuum, reſuſcitatum pro nobis, ſedentem ad dexteram patris, & mitigatione iuſtiſſimæ iræ intercedentem pro genere humano. Hunc ſolum eſſe cauſam iuſtificationis & ſalutis iis omnibus, qui vere agunt pœnitentiam, & hunc Mediatorem fide apprehendunt, ſine vlla virium humanarum, aut operum acceſſione, firmiter credimus & profitemur. Ab hac autem doctrina longe ſeparamus Philoſophiæ ſtudia, vt quæ ſuo loco extra Eccleſiam, monſtret Dei veſtigia, doceat prouidentiam, maieſtatem,

bonitatem conditoris, in consideratione rerum, dum earum substantias, temperamenta, vires, causas, & effectus scrutatur, dum in homine legem externæ disciplinæ, semina virtutum, discrimen honestorum & turpium discernit, finemque hominis vtcunque agnoscit, ex consideratione causarum. Hanc, ad salutem hominis nihil quidquam conferre censemus, Sed famulari tamen, doctrinæ de Deo, non negamus, dum suppeditat rationem explicandi multa obscura loca in sacris literis, quæ sine interpretatione linguarum, sine expositione ac declaratione rerum, quæ natura complectitur, non possunt recte intelligi. Ita & politicam doctrinam de moribus seiungimus a doctrina Euangelii, Cum illa tantum humanis consiliis ac legibus regat externam disciplinam, vt conseruetur iusticia, pax, tranquillitas inter homines, ac inseruiat huic præsenti, & vt ita dicam, mortali vitæ, Euangelium autem veram salutem & vitam æternam, doceat, agnitione & fiducia Iesu Christi, qui factus est propiciatio pro peccatis nostris. Licet autem Philosophiæ doctrinam, aut eius partes seorsim a doctrina Euangelii seiunctam agnosci volumus, tamen eam non tradimus more Ethnico, nudam, & sine consideratione, noticia, veneratione que conditoris, imo κατ᾽ἐχὴν Ecclesiæ necessariam semper adiungimus, sed vt dixi suo loco, vt & verbum Dei exemplis e rerum natura sumptis, cum opus est, declaremus, & finem Philosophiæ eum esse, ostendamus, vt ad explicationem doctrinæ de Deo, quæ breui sermone arcte complicata est, demonstrationes adferat, cum salua conscientia docentis potest, cum non potest, suo se loco contineat intra cancellos politicæ doctrinæ, & autoritati diuinæ reuerenter cedat, vt par est pedissequam & ancillam cedere dominæ & principi. Hic est apud nos Philosophandi Scæuola modus. Sectarum opiniones annotamus, discernimus, imitamur nequaquam, veritatem amamus, licet eam in rerum omnium scrutatione non aliter abstrusam atque abditam speculetur mentis humanæ acies, quam in nubibus renidentem iridem collustrant oculi, dum mille trahit varios

ad-

aduerso Sole colores, Tamen cum quædam conformationes veri, etiam naturaliter ingenitæ sint hominibus, has excolere discendo & conferendo inter se, & ex his demonstrationes in explicandis artibus ac disciplinis quærere, inuentasque ita accommodare ad vsum, ne offendatur vel gloria Dei, vel veritas & iustitia inter homines, an quisquam reprehendat, qui sanæ est mentis, & non distorti ingenii? Caput hoc est, Cursum omnem studiorum huius Academiæ, ita gubernari ac teneri, habito & rerum quæ docentur, & operarum, quæ ordine distributæ sunt, delectu, vt continua serie lectionum ea omnia studiose explicentur, quæ & eruditio, & pietas, & eloquentia requirit. Efflorescit itaque & iuris, & rei Medicæ studium, professorum celebrium atque excellentium eruditione & industria. Maxime viget Theologiæ studium. Florent linguæ atque artes, Acuitur eloquentiæ vis & facultas. Excitat atque inuitat docentium ac discentium animos summa liberalitas optimorum Principum, qui ædes Salanæ nostræ (Ita placuit Musis Collegiorum domicilia bonis studiis consecrata adpellare) recentibus ædificiis magnifice exornarunt. Et est eiusmodi natura ipsa Regionis huius, vt vltro blandiri Musis, & singulari quodam, vt veteres locuti sunt, Genio, ipsas inuitare artes videatur. Nihil enim hoc situ, his conuallibus, his nemusculorum, pratorum, atque hortorum deliciis, vel amœnius dixeris, vel pulchrius. Taceo nunc de commeatus ac annonæ copia atque abundantia, de præstantia vini & panis laudatissimi, nihil adiicio de esculentorum varietate atque gratia, quæ ad apparatum culinæ pertinent, quæ omnia in hac vicinia large nascuntur, & facillimo precio comparari possunt. Gratulor itaque non modo his Regionibus ad Sudetes Herciniosque montes iacentibus, Sed etiam posteritati, si qua erit vlla, hanc fœlicitatem, qua Deus puritatem doctrinæ de sua voluntate, honestissimasque, maximeque vitæ necessarias artes, veluti e naufragio perturbatissimi nostri temporis liberata atque recepta, ex conuallibus horum montium quasi reflorescere, atque conseruata

propagari longe lateque voluit. Sed expectas, vt arbitror, mi Scæuola, finem aliquando, huius siue Epistolæ siue Commentarii. Desino itaque, ac te rogo, vt hanc verbosam narrationem meam, candide accipias, ac benigne interpreteris. Quid enim scriberem aliud, cum de publicis ne quidem libeat verbum, de priuatis, quod tam longinquis e regionibus ad te scribam, non habeam? Noui apud te virtutis mentionem pluris fieri, quam argentum & aurum; Iccirco hanc meam commemorationem nec moleste ferre poteris, nec debebis. Cumque virtutem adprobari etiam in Scythicis ingeniis, non sit alienum ab humanitate, fauere etiam te decet virtuti nostrorum hominum, quæ cum pietate & iusticia coniuncta opponi potest omnium Heroum exemplis atque laudibus, quas hæc ætas celebrat. Si has in tempore acceperis, poteris ad Calendas Maii rescribere. Quod vt facias te oro. Vale ac salue. Ienæ Thirigetum ad Salam. Nonis Martii, Anno Salutis 1558.

EPIGRAMMATA QVAEDAM STIGELII FACTA INTER SPECTACVLA EQVESTRIA.

DE DVCE SAXONIAE IOAN. FRIDERICO.

OTia qui vobis faciens immunia Musæ
Hoc, bene qui merito de patre nomen habet,
Hæc etiam in vestrum præbet spectacula fructum
Signa patrocinii iam manifesta sui.
Namque bonas artes velut alta in pace foueri
Sæpe humiles iusto sic decet ense tegi.
Musagetes audit merito Tirynthius Heros,
Terribilis claua non minus ille fuit.
Qui fouet ingenuas Princeps, & protegit artes,
Ille suo dignum munere nomen habet.

De

DE VIRTVTE DVCIS IOANNIS WILHELMI
IN LVDIS HASTICIS.

INuictos sileant animos, roburque virile,
Aequa nimis rebus secla vetusta suis.
Hoc onus armorum vix ingens perferat Aiax,
Maximus huic hasta vix satis Hector erat.
His tamen instructus per apertas ludit arenas,
Promptus in armato Dux Guilielmus equo.
Ipsum aptata Chalybs & ferro & fulgure cingit,
Omnia ferrato cedere tela putes.
Ecce suis armis confisum, atque arte valentem
Praecipitem verso deiicit acer equo.
Fit sonitus, ferrumque simul flammaque coruscant
Ille sono victor plebis ouantis abit.
Sic euersa ruit praeceps a culmine turris,
Missus ab ignito quam globus aere quatit.
Fulmineis totus qui ferreus irruit armis,
Tempore dum pacis ludit equestre decus,
Qualis erit densos iam grassaturus in hostes,
Seria cum maius pugna requiret opus?
Sed decus huic laudi praefert, quod pace paratur,
Hoc patriae, hoc Ducibus, large tuere Deus.

DE DVOBVS FRATRIBVS.

LAude vehunt Graii Pollucem & Castora vates,
Qui fratres vna mente fuere duo.
Hos sua de terris euexit gloria, vt inter
Acciperent meritum sidera vterque locum.
Desine iam fictos attollere fabula manes,
Qui nunquam in rerum sorte fuere sinu.

Qui decus in vero fratrum scrutatur amore,
Vtile quod pariter ciuibus esse potest,
Huic duo Saxonico nati de stemmate fratres
Spectaclum voti pondere maius erunt,
Viuite fœlices patriæ duo sidera fratres,
Quos Sol iusticiæ iungit, amatque Deus.

IN IMAGINEM IOANNIS FRIDERICI IVNIORIS, DVCIS SAXONIAE.

PRincipis hæc picta est annis florentis imago,
Tertius a celso qui patre nomen habet.
Qui miraris adhuc viuacem in principe laudem,
Nomen ab ingenio qui sapiente tulit.
Hunc etiam mirere, hic vere est alter ab illo
Ingenio, vultu, moribus, officio.
Namque faces animi generoso in lumine versans,
Nil magno indignum Principe mente videt.
Noticiam, & veri decus immutabile cultus,
Asserere æterno gaudet vbique Deo.
Et virtutis amans, tribuit virtutis amori
Quod decet atque omni, quod iubet ordo loco.
Præcipue ingeniis fauet ingeniosus & ipse,
Musarumque piis gaudet adesse choris.
Moribus adplausum, famam virtute meretur,
Agnoscit ciues mitis amatque suos.
Si ventura aliquid priscis e moribus auri
Tempora seruabunt, hoc dabit ille decus.
Tu Deus incolumi longa da tempora vitæ,
Sic etiam patriæ commoda multa dabis,

DE LVDIS HASTICIS.

DVm videt hastate Mavors certamina pugnæ
Auspicio fervent qua Guilielme tuo.
Miraturque homines armis atque igne micantes,
Cumque viris versos præcipitanter equos.
Corde trahens gemitum, quam secula prisca fefelli?
His ego sum longe viribus impar, ait.

AD MVSAS.

DVm vario fertur tetrum certamine ferrum,
Atque ictu Chalybis pugna micante sonat.
Quid facitis Musæ, num formidabile ferrum,
Num Martis trepidæ triste timetis opus?
Hæc virtus placida pacem tutatur in umbra,
Quæ didicit prompta tela movere manu.
Quando comes placidis virtus est mascula Musis,
Stat custoditum pacis ubique decus.

AD DVCEM IOANNEM WILHELMVM.

HAec tibi serta tuæ flores spirantia rutæ
Hanc laurum, in laudes signa parata tuas
Ecce ferunt grata virtutis præmia Musæ,
Et simul hæc addunt simplice verba sono.
Cui simul a pace est, simul est a casside nomen
Ille decus pacis bellipotentis erit.
Numen inest Musis, omen ne despice Princeps,
Numinis est omen, hinc tibi nomen erit.

AD

AD INSIGNIA DVCATVS SAXONIAE.

Multa quod attriuit viuaci secula laude
Saxoniæ insigne est hoc, specimenque domus.
Aureus est clipeus, pulchro discrimen in auro,
Secernunt nigros aurea tigna trabes,
Quos super obliquo traiecta & pendula tractu,
E foliis ruta nexa corolla nitet.
Res preciosa aurum, regales indicat ortus,
Fastigiumque alta, iusticiamque domus,
Quæ duo, Saxonicæ splendent e stemmate gentis,
Aurea nascentem lux velut ante diem.
Vmbra aurum distincta nigrans, virtutis imago est,
Omnia iudicio quæ moderante facit.
Sed laudem adplausu partam, famamque perennem,
Ex ruta foliis texta corona notat.
Gloria virtuti dedit hoc insigne merenti,
Pro patria caris quæ gerit arma focis.
Plus meruit pietas, aduersis cognita rebus,
Hac duce ruta potens nulla venena timet.
Ruta viret, quamuis vento quatiatur & imbre,
Ruta viret, quamuis sæua repugnet hyems.

❧ • ❧

DE

TREVGA ET PACE

EIVSQVE

ORIGINE ET VSV IN BELLIS PRIVATIS

MARCI ANTONII DOMINICY JC.

SACRI CONSISTORII CONSILIARII, ET ORDINARII REGIS HISTORICI

DISSERTATIO.

PARISIIS,

Apud { SEBASTIANVM CRAMOISY, REGIS ET REGINAE REGENTIS ARCHITYPOGRAPHVM: ET GABRIELEM CRAMOISY. } via Iacobaea sub Ciconiis.

M. DC. XLIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SERENISSIMO, NECNON REGIAE STIRPIS PRIMO PRINCIPI

LVDOVICO BORBONIO.



IBI *merito libellum inscribo de Treuga & Pace*, SERENISSIME PRINCEPS, *quem merito pacis arbitrum omnes suspiciunt; eoque facilius a te procurandam sibi suaserunt, quo tam longe communem Heroum antiquorum famam supergressus es, vt gloriæ satietate laborare videaris. Cum etenim ea sit fortis humanæ conditio, vt cum cædibus & periculis Fortiorum virtus exoriatur; summumque rebus inter arma præclare gestis constitutum sit honoris fastigium: quid tibi præstandum amplius, quod ea ætate qua veteri Duces incipiunt, tu non expleueris; Et quidem eas tu nondum vesticeps penetrasti Nationes, quas olim tentasse Gens mundi Domina superbiebat: Fulminantis dextera tua robur sensit Iberus, Scaldis, & Lisia, effractoque Rheno veteri Galliarum limite, Danubii ripa tremuit.*

Per te tot aucta Prouinciis Francia, quot expeditionibus, tot insignis victoriis, quot præliis, fastosque suos nobiliores, tuis nunc solet triumphis computare. Restat vnica, sed difficilior, de te ipso victoria; vt scilicet compressa vincendi libidine, otia pacis amplectaris. Aduersa sibi sane sunt hæc studia, & velut in excidium sui mutuo comparata: sed probe etiam agnoscis in Pallade vtriusque militiæ auctoramenta, & inimicas inter se functiones, eius beneficio in societatem reuocari. Vt ex voto coluisti paludatam, sic inermem non despexisti: Colunt enim adhuc Bituriges, penes quos me esse voluisti, faustum hunc diem, quo in illorum Academia, vernante adhuc iuuentæ flore, te ipsis Philosophum exhibuisti, vt vbique te adulta ætate Principem sapientissimum præsentirent. Nec vnquam de te concepta fefellit opinio; Præuiam tuam ita miratus est hostis in ipso conflictu prudentiam, vt nec fortitudini, neque fortunæ tuæ referat, quas de illo victorias reportasti, sed sapientiæ; solusque docueris variam belli sortem, constantem tuo reddi consilio. Hæc quidem citra fidem esse viderentur, nisi paterent. Sed non satis est, SERENISSIME PRINCEPS, *prudenter pugnasse, vt feliciter vinceres; superest adhuc vt patefacias, te toties vicisse, vt publicæ, quæ in pace consistit, securitati consuleres. Id tu quoque recte intelliges, si respexeris, eam tibi reliquam partem, ex qua Nominis tui gloria vlterius euehi possit. Erit hic virtutis tuæ cumulus; erit & felicitas temporum, totque tibi præcones conciliabis, quot facies obstrictos: innumeros vero propemodum facies, & communicato singulis beneficio, vberius humanæ genti te commodabis. Interim si dum tam grande opus meditaberis, animum volueris relaxare, offero tibi libellum de Trenga & Pace, inter ciuiles tumultus nuperrime conceptum: In eo videbis, quo ritu veteres Franci priuata inter se bella exercerent, quibusue artibus Principes, & Episcopi contenderent, effusa hæc per Gallias dissidia consopire. Si tibi arriserit meus iste labor, tuo iudicio in futurum factus audacior, vberiores alios vigiliarum mearum partus, tuo Nomini consecrabo: Sin minus, satis erit eiusmodi argumentum tibi proposuisse*

quod

quod tuo de publica pace consilio, possit aliquatenus conuenire & meum erga te obsequium æternum testari.

TVAE CELSITVDINI

Addictissimus
M. ANTONIVS DOMINICY.

DE
TREVGA ET PACE
EIVSQVE
ORIGINE ET VSV IN BELLIS PRIVATIS
DISSERTATIO.

SVMMVM belli, pacisque arbitrium, penes eos fuisse certissimum est, penes quos summum fuit imperium; * Priuatis etenim Iure ciuili armorum vsus sine auctoritate publica interdictus fuit; Vindictam in iure, iudicioque persequi permissum, non aperto Marte; forum querelis patuit, non iniuriæ, ita vt pulsato ferrum sine moderamine non licuerit exercere. Verum soluta variis barbarorum irruptionibus imperii mole, inductis Germanorum moribus, euanuit prisca legum auctoritas, & publico iuri, quo priuata dissidia comprimebantur, successit audacia; expeditior visa est sors belli, quam fori, & inglorium viris potentioribus legum imbelle præsidium. Hanc vesaniam Gothos primum Italia potitos induxisse colligere licet, ex Epistola Theoderici ad Colossæum Comitem; ex qua patet, æquissimum Regem reuocato antiquo iure, tantum furorem explodere tentasse; ** *Remoue, inquit, consuetudines abominanter inolitas, verbis ibi potius, non armis causa tractetur.* Ab his ad Gundebados morem hunc defluxisse constat ex eorum legibus, qui-

 bus

* *L. vnic. Cod. vt arm. vsus insc. Princ. interd.*
** *Cassiod. lib. 3. Var. cap. 23.*

bus res suas ferro repetere licuit; adeo vt Agobardus Præsul Lugdunensis, Ludouicum Pium exorauerit, vt hanc legem vellet abrogare, cum *nex* potius, quam *lex* sit existimanda. Idem ius apud Francos qui lege Salica viuebant obtinuisse, testis est pluribus locis * Gregorius Turonensis, tamque alte inualuisse huiusmodi vindictæ genus, vt in priuatis istis dissidiis, familiæ nobilissimæ quandoque penitus exciderent, nec extinguerentur odia, nisi alterutrius ex partibus genus extingueretur. Nullus siquidem bello finis, quamdiu aliquis ex gente supererat, qui defuncti proximi causam posset sustinere; indeque factum, vt in componendis huiusmodi bellis, & illata cuipiam cæde reparanda, cæsi cognati reo pacem iureiurando promitterent, scriptoque fidem obstringerent, se non amplius defuncti proximi iniuriam ferro prosecuturos, vt videre est apud eumdem Gregorium in causa Austregisili, quem Sicharius cum filio, eiusque fratre Eberulfo interfecerat. Hæc sponsio apud antiquos auctores *securitas* dicitur, cuius formulæ extat apud Marculphum, quem non pœnitendæ vir eruditionis, ** Abbatem fuisse S. Austregisili de Castro in suburbiis Bituricæ Ciuitatis, non leui ductus argumento suspicatur. Hoc autem ius ab antiquo Romanorum more mutuatum videtur, penes quos dum inimici redibant in gratiam iusiurandum intercedebat:

Machinam ordinis nouam, inquit Pacuuius, *manticulatam assu*
Sanctiora adigis iuranda iura, quibus cotidie
Parua noxa extergeantur.

Quibus verbis non secus ac olim Laberius iusiurandum vocauit *emplastrum æris alieni*, ita & iste *mantile* dixit, quo veluti lotis manibus iniuriæ solerent abstergi. Ita tamen inter partes odia quandoque exarserant, vt vtraque inimicitiam, vel vt sæculi verbo vtar *faidam* componere recusaret, vnde misera familiarum cla-

* *l. 5. c. 33. l. 6. c. 17. l. 7. c. 47.*
** *Ph. Labbe Soc. Iesu in Elog. ciuit. Bituric.*

clades emergebat. Quare hanc vesaniam lege sancita tentauit Carolus Magnus coërcere : sic enim habet in Capitularibus : *Si quis pro faida pretium recipere non vult, tunc ad nos sit transmissus, & nos eum dirigemus, vbi damnum minime facere possit : simili modo, & qui pro faida pretium soluere noluerit, nec iustitiam exinde facere, in tali loco eum mittere volumus, vt pro eodem maius damnum non crescat.* Eandem constitutionem recentauit Ludouicus Pius anno DCCCXXVIII, sicut deinde Carolus Caluus Patris, & Aui exemplo firmatus.

Ex his Capitulis huiusmodi dissidii primaria cognitio Comitis, nisi quis ipsius iudicium detrectaret, quo casu Princeps refragatorem ad se transmitti iubebat, vt eius audaciam exilio temporario comprimeret. Mitius actum apud Longobardos cum huiusmodi pacis turbatoribus, quorum pœna pecuniaria fuit, trecentum scilicet solidorum, quæ vulgo *fredum* dicebatur alias *vuergildum*, cuius tertia pars fisco inferebatur. Sed tam temerario ausui compescendo, impar erat prohibitio. Nam assurgente ad Imperium Capetina familia, qui maiora feuda tenuêre, cum ipsis belli publici, & delectum conscribendi ius sibi aperte vindicarunt : Vnde cum in dies ingrauescente morbo fœdissima strage Respublica scinderetur ; His malis Episcopi Gallicani prospicere tentarunt, non extincto quidem impio illo bellorum vsu, sed represso per inducias, quæ aliquot dies a cædibus & deprædationibus prætextu religionis redderent otiosos.

Has inducias *Treugam Domini* vocant æui medii scriptores, deducta a Germanis voce; apud quos *Tru*, vel *Dru* fidem significat ; Vnde *Drudi* siue *fideles*, & *Drucla*, vel *druda* dicitur *sponsa*, legum Salicarum tit. XIV. ab eademque radice *Trustis* & *Antrustio* in formulis Marculphi, eum denotat qui *Regi fidelitatem promisit*, & apud nostros veteres poëtas *Amicitia* dicitur *Druerie*, vt patet ex eleganti poëmatio dicto *le Roman de la Rose* :

Par druerie, & par folas
Li ot sa mie fait chapel
De Roses, qui mout li fit bel.

Intercedebat siquidem in peragenda Treuga pacis osculum symbolum amicitiæ, vt constat ex legibus Longobardorum, in quibus primum barbara hæc vox occurrit; sic enim habent: * *Inter Treugam post datum osculum.* Hanc etiam vsurpat Codinus, & pacem imperfectam vocat, quod definito dierum termino circumscribatur, *Induciæ* quippe *sunt cum in breue, & in præsens tempus conuenit, ne inuicem se lacessant*, vt ait Paulus Iureconsultus in *l. postliminium ff. de capt. & postlim. reuers.* Eodem sensu apud Frodoardum **: *Treuga, vel inducia belli, inter Regem Ludouicum, & Hugonem Principem, vsque ad synodi tempus Ottone mediante disponuntur.* *** Ita apud Guillelmum Neubrigensem, *Induciæ quas Treugas vocant.* Et apud Guillelmum Brittonem III. Philippidos:

Concilium de pace rogat, datur ergo dierum
Treuga trium.

Ex quibus constat definitum fuisse *Treugæ* tempus ad differentiam *Pacis*, quæ perpetua esse debet: In scriptis tamen redacta fuisse *Treugæ* pacta, non secus ac *Pacis*, docet nos idem Guillelmus Britto **** :

——— *Nec verbo stare Ioannes*
Nec scripto voluit, nec pactas mittere Treugas.

Treuga igitur armorum suspensio fuit, *Pax* cessatio; Vnde recte quæri potest, cur in Concilio Arelatensi I. *qui in pace arma proiiciunt*, anathemate feriantur, cum veræ defectionis crimen, ac per consequens pœna, ad eos tantum pertineat qui non in pace, sed in acie, arma proiiciunt. Illustrissimus Cardinalis Baronius hunc canonem accipiendum putabat, de his qui nulla saeculi-

* *Lib. 1. t. 9. Leg. 38.*
** *In Chron.*
*** *L. 5. c. 3.*
**** *Lib. 6.*

sæuiente persecutione, Ecclesiis pace reddita ad Gentiles transibant: quam sententiam verissimam puto; sed illustranda est ex comparatione cœlestis militiæ, cum armata, quæ frequens est apud sanctissimos Patres; In hac quippe milites in numeros relati, si sine missione, stationes deseruerint, pro ratione muneris, vt desertores puniuntur; *Qui in pace deseruit, eques gradu pellendus est; pedes militiam mutat; in bello idem admissum capite puniendum est*: vt notat Arrius Menander, ex cuius libro 2. desumpta est *l. 5. ff. de re milit.* Quare cum Christiani in ipso baptismate, cœlesti militiæ nomen darent, adeo vt in id comparatæ essent in vnaquaque Ecclesia matriculæ; ii qui nulla sæuiente persecutione, aut cessante vi maiore, cuius metus canonicam pœnitentiam minuebat, vt constat ex Concilio Ancyrano, ad sacrificandum accedebant, in pace arma proiicere dicebantur, ideoque a Christianorum arcebantur communione, quemadmodum milites expungebantur ex militum catalogo. Sed hæc pax longe diuersa ab ea, de qua nunc agimus, quæ non omnibus sed certis quibusdam personis concessa erat, quamque finitis induciis violare nefas, vnde longe distat etiam a Treuga, licet hæc fuerit inducta vt facilior aditus daretur ad illam.

Iuo Carnotensis *Dei Treuiam* vocat, consilium quo Gallicani Proceres priuatorum bellorum hisce incommodis prospexerunt. Id autem in Aquitania primum institutum notat Chronicon Hugonis Abbatis Flauiniacensis nondum editum, his verbis: *Anno igitur a passione Domini* M. *ab incarnatione* MXXXIII. *cœpit placida serenitas terræ dulcedinem creatoris ostendere, & frugum abundantiam portendere: Tunc per Aquitaniam, & Arelatensem, & Lugdunensem prouincias, & per vniuersam Burgundiam Concilia instituta sunt, & Pax firmata.* In his autem Conciliis, ex Sigeberti relatione, definitum, *vt arma quisque non ferret, direpta non repeteret, sui sanguinis, vel cuiuslibet proximi, vltor minime existens percussoribus cogeretur indulgere.* Quæ sententia cum satis dura videretur Gerardo Cameracensi Episcopo, cum a ceteris dissentiret, hanc affinxit rationem: *Genus humanum ab ini-*

tio

tio trifariam esse diuisum; in omnibus, pugnatoribus, agricultoribus; & vnum duorum, & duos unius egere auxilio; ideo debere arma ferri, & rapinas reddi, pro auctoritate legis, & gratia; vltorem percussi, vel occisi, non exacerbari cogendo, sed secundum Euangelium ei reconciliari.

Eius tamen Præsulis auctoritas supra ceteros non præualuit: Nam in Aquitania ex Episcoporum decreto *Pax* firmata fuit; Et primum apud Bituriges, vt constat ex Concilio Lemouicensi, in quo Iordanus Lemouicensis sic populum alloquitur: *Quemadmodum inter Bituricenses Deo donante Pax firmata est, ita inter Lemouicenses Pacem fieri optamus*, eademque maledictionis verba dictat aduersus milites, qui pacem in Lemouicinio recusarent, quæ ab Aymone Archiepiscopo in Concilio Bituricensi, contra aduersarios pacis fuerant recitata. Huiusce Concilii summa capita, & illud præcipue quod de seruanda apud Bituriges Pace conceptum est, extant in veteri Charta Monasterii S. Sulpitii, quod olim Nauense dicebatur, qua isdem Aymo ex eiusdem Concilii decreto, cœnobium hoc, & Ecclesias illi addictas a Synodatico, & paratis eximit, de qua tamen immunitate altum silentium in actis dicti Concilii.

Quia tamen prioribus his sanctionibus mali fomes vix extinguebatur, cum satis durum esset, omnes sine distinctione conditionis exarmari, iidem Aquitani Præsules noua excogitarunt temperamenta, quæ sic a Rodulpho Glabro referuntur, ad annum MXXXIV. * *Vt nemo mortalium a feria quarta vespere, vsque ad secundam feriam incipiente luce, ausu temerario præsumeret, quidpiam alicui hominum per vim auferre, neque vltionis vindictam a quoquam inimico exigere; nec etiam a fideiussore vadimonium tollere: quod si ab aliquo fieri contigisset contra hoc decretum publicum, aut de vita componeret, aut a Christianorum consortio expulsus patria pelleretur. Hoc insuper placuit vniuersis veluti vulgo dicitur, vt* TREVGA DOMINI *voca-*

* *Lib. I. c. I.*

vocaretur, qua videlicet, non solum humanis esset fulta præsidiis, verum etiam multoties diuinis suffragata terroribus. Exemplo Aquitanorum Austrasii has inducias admisere, solaque fuit gens Neustriæ, quæ pacem recusauit prædicante Richardo S. Vitoni Virdunensis Abbate, vnde diuino nutu factum vt internis depascerentur ardoribus, vt notat idem Chronicon Flauiniacense.

Nouo igitur Aquitanorum Patrum a Mercurii suprema die, vsque ad diluculum diei Lunæ subsequentis arma tractare fuit nefas, sicut & a fideiussore pignus tollere : quæ institutio licet Reipublicæ Christianæ admodum necessaria, arguitur tamen a Baronio *, Rudolphi Glabri mente in alium sensum deflexa : Nam cum dicit is auctor, *Nec etiam a fideiussore vadimonium tollere* per feriatos hos dies licere, interpretatur illustrissimus Cardinalis, vt non Dominica tantum die, verum etiam quatuor hebdomadæ diebus, *cessarent fideles a strepitu fori.* Sed hoc loco *vadimonium,* sponsionem, & fideiussionem significat, vt recte aduertit C. V. Petrus Marcha ** ex glossis ad leges Longobardorum ; idemque sonat *Wadia* ; & *Wadii* Barbaris iidem qui *vades* seu fideiussores Latinis. Quare recte sanxerunt sanctissimi Patres, per dies otiosos pignus a fideiussore tollere non licere, ne inde noua emergeret dissensionis occasio, & *Treuga Dei* violaretur.

Alia etiam obiectione idem Annalium conditor hoc institutum perstringit : agi scilicet de priuatis hominum dissensionibus iustis vel iniustis, quas vnaquaque die persequi liberum erit, si iustitia non careant, vel si careant, deserere necessarium. Verum aduertendum est huiusmodi bella priuata, non omnino hac tempestate legibus damnari, sed potius vsu temporis ab ipsis Regibus fuisse comprobata, licet non sine ipsorum iniuria inualuerint ; Rogerus enim Houedenus no-

F tat

* *Ad an. 1034. n. 6.*

** *In Hist. Benearn.*

tat in Richardo, impeditas fuisse Treugas; *quia videlicet Rex Angliæ violare nolebant consuetudines & leges Pictauiæ, vel aliarum terrarum suarum, in quibus consuetum erat ab antiquo, vt magnates causas proprias inuicem gladiis allegarent.* Imo & ipsi Clerici, a Laicis instructa acie res Ecclesiæ repetebant, vt testatur Petrus Damiani *, adeo vt sola belli denunciatio, vel vt sæculi verbo vtar *diffidatio,* desideraretur, vt rite atque legitime videretur instauratum. Huiusce autem solemnis prouocationis, sic legem tulit Fridericus apud Abbatem Vspergensem: *Sancimus,* inquit, *vt quicumque alii damnum facere, aut lædere ipsum intendat, tribus ad minus ante diebus per certum nuncium suum diffidaciet eum.* Idem firmauit Conradus Imperator in Aurea Bulla, ** adiicitque insuper diffidationem eiusmodi personaliter, & publice intimandam esse, adeo vt per testes idoneos possit comprobari. Similis denunciationis vsum, in Gallia etiam seruatum docet nos Iuo Carnotensis Epistola *** ad Paschalem II. & altera ad Philippum I. Regem Francorum: sed solemni magis, quam apud Germanos ritu peractum nos docent veteres fecialium libri; **** Apud illos enim nobiles pædagogiani virgam in manibus præferentes dominorum suorum inimicis bellum denunciabant; quod forsan ex antiquo regum Francorum primæ stirpis vsu deriuatum, qui hostibus suis bellum indicentes, legatos cum *virgis consecratis ad illos dirigebant, ne scilicet contingerentur ab vllo,* vt refert Gregorius Turonensis, quasi sagminum, & verbenarum vsum retinuissent, qui frequens apud Romanos in legationibus, vt constat ex *l. sanctum. ff. de rer. diuis.* Sed postquam sub Henrico I. Rege Francorum inualuit insignium gentilitiorum vsus, Heraldus Domini a quo missus erat, insignia in charta depi-

* *Opusc. 34. c. 4.*
** *c. 18.*
*** *Epist. 171.*
**** *Lud. Dauila.*

depicta pileo, vel sago assuebat, vt ex eorum aspectu cognoscerent obuii, cuius mandato legatione fungeretur; & huiusmodi fecialis bellum denunciantis figura extat in veteri Codice de legibus torneamentorum, quem penes me habeo Ludouici VI. tempore exaratum. Hoc theatrali instructum apparatu, quadraginta diebus antequam bellum aperiretur, illi ad quem missus erat, eiusque cognationi bellum indicebat; & hoc spatium a Romanis aliquatenus mutuatum, qui post fœderis renunciationem, & res ablatas per legatos repetitas, per triginta dies solemnes ab armis abstinebant, hastamque iterum mittebant. At apud Francos quadraginta dierum terminus ita definitus, vt veluti nouo deliberandi iure, cognatis, & amicis intra illud tempus bellum excipere, vel detrectare liceret. Tunc ne inconsiderate inter vtriusque partis proximos cædibus, & incendiis ageretur, inualuit *clamoris militaris* vsus, quem sibi potentiores proprium fecerant, vt hoc decantato *bellico celeumate*, quibus staret partibus interrogatus aliquis profiteretur. Factum etiam vt exemplo regiorum militum, qui in læua purpurea assuebant signa, vt ex D. Dorotheo * discimus, isti etiam togulas suas propriis *diffidati*, vel *aggressoris* coloribus discriminarent; & hoc vestimenti genus *Libratas* vocabant, quod scilicet ab exercitus ducibus illis erogarentur, & inde nos Gallice *liurées* dicimus colores, quibus Magnates familiares suos insigniunt.

Ex his ritibus satis liquet bella hæc priuata, vitio sæculi, veluti iure constituto fuisse admissa; vnde quam male procedat Baronii argumentatio aperte colligitur, & quam inique traducat Aquitanos Episcopos, quibus ea mens fuit, vt quos prima fronte exarmare non poterant, statutis induciis mitiores efficeret. Has autem vniuersæ Reipublicæ Christianæ acceptas indicat Concilium Claromontanum **, quo probatæ

F 2 fue-

* *Doct. 1.*

** *Sub Vrban. II.*

fuere, & alii feriati dies constituti; *Ab aduentu scilicet Domini, vsque ad octauas Epiphaniæ, & a Septuagesima, vsque ad octauas Paschæ, & a prima die Rogationum, vsque ad octauas Pentecostes.* Additum etiam vt bona eorum qui Hierosolymas pergerent, semper & vbique essent in *Pace, & Treuga*, quovsque redirent, cum antea solis clericis, mercatoribus, peregrinis, agricultoribus, mulieribus, & monachis perpetua *Pax* concessa esset, dummodo inermes essent, ceteris vero *Treuga* intra dies definitos; Ideoque recte Iuo Carnotensis * obseruat, nouam esse institutionem de tuitione Ecclesiastica impendenda rebus militum Hierosolymas proficiscentium; nam inde factum, vt plurimi huic expeditioni non zelo pietatis se accingerent, sed vt se a creditorum vexatione liberarent, vt notat Willelmus Tyrius, & hoc deinde priuilegium, tractum ad *Romipetas*, & ceteros, quos *Burdinarios* dicebant.

Amplificata sunt isthæc decreta a Concilio Romano sub Paschali II. conuocato ** quo certum Ecclesiis spatium definitum, intra quod homines, & res eorum in tuto forent collocatæ; Huius Concilii canones non extant, sed quid in eo constitutum fuerit, deprehenditur ex Epistola Guillelmi Ausciorum Episcopi, quæ extat in Collectione Regia Conciliorum *** : In ea enim ex mente Concilii Romani statuit is Præsul, *vt Ecclesiæ saluitatem habeant* XXX. *passuum circumquaque, monasteria vero* LX. quo in spatio definiendo plus monasteriis attribuit, quam maioribus Ecclesiis competebat, ex constitutione Nicolai Papæ, quæ extat in *Can. sicut antiquitus 17. quæst. 4. Sicut antiquitus*, inquit, *a sanctissimis Patribus statutum, statuimus, vt maior Ecclesia* XL. *passus habeat, capellæ vero, vel minores Ecclesiæ* XXX. Hunc ambitum, *passus Ecclesiasticos* vocat Ioannes VIII. *Si quis infregerit Ecclesiam, vel triginta Eccle-*

* *Epist. 173.*
** *ann. 1102.*
*** *tom. 26.*

clesiasticos passus ; Innocentius III.* *canonicum spatium*, quemadmodum & in iure nostro, ambitus qui iure ciuili inter ædificia relinquebatur, & ex lege XII. tabularum sextertius pes erat, *legitimus* dicitur in *l. 14. ff. de seruit. præd. vrban.* Ille vero circuitus, qui apud Gregorium Turonensem *saluatorium* dicitur, & *saluitas*, vel *saluatio* posterioribus sæculis, crucibus vndequaque terminabatur, vt docent nos Acta ** dedicationis Ecclesiæ Sancti Martini de Cressana, anno MCXXXII. ab Arnaldo I. Archiepiscopo Narbonensi peractæ ; quod etiam confirmatur ex veteri charta, qua Theobaldus, & Odo Comes Exoldunensis sub Philippo I. Rege, Ecclesiæ de Musneto, quæ iuris est Monasterii S. Sulpicii Bituricensis, *securitatem* tanto terrarum ambitu definiunt, quanto volantis sagittæ iactu poterit contineri, iubentque vbi quieuerit, ibi ex vtroque cœli cardine *crucem* excitari, *in signum illius Ecclesiæ saluationis* ; Et ex hoc more repetenda explicatio veteris formulæ loquendi, quæ frequens in antiquis monumentis occurrit, de possessionibus *intra decos* sitis, id est *intra cruces* : *decus* enim idem ac *decussis*, quæ olim nota in limitibus sæpe adhibita, unde *arbores decussata*, & *lapides decussati* in libris de limitibus agrorum.

Verum non modo Ecclesiarum gratia tutus ille, ac securus ambitus definitus fuit, sed si quando aliquis hunc infringeret, viri Principes etiam si bello inter se decertarent, *Treugam* solemniter spoponderint, vt liberior illis esset violatæ pacis reum facultas insequendi ; vetus charta Monast. Casalis Benedicti apud Bituriges anno MC. concepta : *Sacramentum quod Domnus Gaufredus Soldunensis, & Domnus Rodulphus Dolensis fecerunt de defensione monasterii, quod vocatur Casale S. Petri, & de iustitia facienda de illis qui intra terminos parochiæ huius Monasterii aliquid violenter ceperint, scilicet, vt si talis est ille, qui intra terminos supradictos aliquod malum fecerit, & pro ipsis*

* *Epist. 162. lib. 1. Reg. XIII.*

** *Apud Catel. in memorab. Occitan. in Arnaldo I.*

ipsis emendare noluerit, si vnus ex illis non potest eum cogere ad iustitiam faciendam, vt alter alterum adiuuet potentia, qua potuerit, & si guerram ad inuicem habere eos contigerit, tamdiu Treugam habebunt, per totam terram suam, donec vnusquisque reuersus sit in domum suam de expeditione illa, quam facient supra malefactorem illum. Inde satis patet in vindicanda Ecclesiarum securitate Concilium Romanum, quod iam præcesserat, ab ipsis potentioribus, qui ius belli sibi arrogarant, receptum fuisse, sed non ideo iratos in semetipsos animos deposuisse.

Et quidem Concilii Romani decreta firmanda fuere, Concilio Lateranensi II. anno MCXXXIV. sub Innocentio II. coacto, ac deinde altero Lateranensi sub Alexandro III. anno MCLXXX. celebrato, a cuius solutione triennio expleto, contigit vt implacabile illud bellum *, quod inter Regem Aragonum, & Raimundum Tolosæ Comitem exarserat, apud Podium in Velaunis sedaretur, assumpta a Principibus iconia B. Mariæ Virginis, & albo induto caputio, ex præceptione cuiusdam Fabri lignarii, qui hoc sibi cœlitus reuelatum prædicabat. Rem gestam narrat Robertus de Monte, ac magnum Chronicon Francicum, sed miraculo fidem detrahit vetus poëta Gallus **, qui hac tempestate scripsit, sic enim loquitur:

Moult fut soutis, & soudiuans,
GVILLEM CHAPVIS, *& bon truans,*
Qui les blancs chaperons trouua,
Et les signaux au Puy donna;
Donna non fit, il les vendoit,
Maistrement la gent deceuoit;
Il en guilla plus de cent mille.

His adstipulatur Simeon Hedinus *** in annotationibus ad Valerium Maximum, nec diffitetur R. Pater Odo de Gissay Pres-

* *Ann. 1183.*
** *Guyot de Prouins en sa Bible.*
*** *Lib. 1. c. 5.*

Presbyter Societatis Iesu, in historia * quam conscripsit de B. Maria Virgine Podiensi, sed vt se res habuerit, *hanc Christi aspirationem fuisse*, vt Guiberti Abbatis verbis vtar, **. vel ex eo colligere licet, quod vniuersorum simultates & odia, fuerint hac ratione sopita.

Imo & inde societates initæ vt imposterum deprædatores, & pacis violatores comprimerentur, vt apud Ruthenos, quemadmodum constat ex rescripto Alexandri III. ad Hugonem Ruthenensem Episcopum. Instituerant siquidem Proceres Rutheni, vt indictio pecuniaria pro ratione cuiusque facultatum fieret per parochias, vt si quæ res mobiles forent ablatæ, ex collectis pecuniis resarcirentur, aut qui eas peruaserat, restituere cogeretur; sicut olim apud Atticos societas fuit Eranistarum, vt collata symbola, socio ad inopiam vergenti succurreretur. Petiit Hugo consilium hoc firmari ab Alexandro III. quod & obtinuit. Ita Amaneuus I. Ausciorum Episcopus ab Honorio III. Alexandri successore, Ordinem militum *Fidei, & Pacis* a se institutum, contra vtriusque turbatores voluit confirmari, vt patet ex eius rescripto in quinta compilatione Decretalium nuperrime edita relato. In quo notanda differentia, quam Amaneuus constituit, inter turbatores *Pacis & Fidei*, ad vitandum errorem auctorum qui *Ruptarios* Basculos, & Brebantiones, cum *Albigensibus* confundunt, quorum hæresis Nonempopuloniam vastabat: *Ruttarii* quippe milites erant conductitii, quibus vtebantur, qui bello erant lacessiti. *Rutta* enim idem est ac turma, vnde *Ruttarii*, longe diuersi a *Ruptariis* qui erant rustici saltus, & squallidas terras agriculturæ parantes, quæ *ruptura, scinda & rupticia* dicuntur, eorumque nomen a *terra rupta* seu *proscissa* deductum, indeque nos ignobiles, & plebeios *Rotuiriers* appellamus. At contra *Ruttarios* veluti Pacis violatores, edixit Concilium Lateranense sub Alexan-

dro

* *Lib. 3. c. 6.*
** *Lib. 2. hist. Hieros.*

dro III. & aduersus illos instituta societas *Militum Pacis*, quæ etiam contra *Fidei hostes* erat parata, Petrobusianos, Henricianos, & Albigenses, qui hac tempestate Ecclesiam erroribus suis fœdabant; *Ruptarii* vero perpetua pace gaudebant, tamquam rustici, ceterique agricultores glebæ addicti, vt aperte colligitur ex Epistola Nicolai I. ad omnes Episcopos; *Tempore* inquit *Pacis, seu Treugæ nulla nocumenta aratoribus, vel peregrinis inferantur:* sic enim legendum vt in antiquis exemplaribus, non *oratoribus* qui iure gentium plena securitate gaudere debent.

At nobilissimo illorum Præsulum exemplo, ceteri quoque incitati, nouas leges de Pace seruanda proposuere: Petiit enim Henricus de Soliaco Archipræsul Bituricensis ab Vrbano III. vt in nouo Primatis aduentu Barones, & milites coram ipso Pacem & Treugam iurarent; idem apud Cadurcos instituit Episcopus Cadurcensis; alii quibus hæc mora longior visa est, sanxerunt vt quouis redeunte quinquennio, Pax ab Episcopis, & proceribus patriæ iureiurando firmaretur; quod etiam constitutum pacto reconciliationis Raimundi V. Comitis Tolosani, Ecclesiasticæ communioni a Milone Legato Valentiæ Cauarum restituti, cui præter Pacis obseruantiam imposita etiam cura, * vias securas præstandi, quæ olim ex antiquo iure Gallorum proximis viarum incolis incumbebat. Huius Treugæ Valentiæ Cauarum inter dictum Comitem Tolosanum, & Legatum Romanum initæ, mentionem facit Guillelmus de Podio Laurentii in suo Chronico **; annotatque singularem in ea conditionem adiectam, militibus faiditis *oppida ingredi non licere, sed per territorium ire, non in equis velocibus, sed Roncinis, cum vno calcari equitando solummodo sine armis.* Quæ clausula reuocat mihi in mentem veterem manumissionis formulam, cuius exemplar extat in Chartulario Bellilocensi apud Lemouices, qua huius monasterii

* *Arist. de mirab. Auscult.*

** *Cap. 25.*

nasterii monachi in villis suis *Iudices seruos* imponunt (id est qui cognoscerent de causis seruorum, non secus ac Romæ Prætor peregrinus cognoscebat de causis peregrinorum :) *In tali conuenientia,* inquiunt, *vt nullus ex illis, neque de posteris eorum efficiatur miles, neque vllus item portet scutum, neque spadam, neque vlla arma, sed vnum speronum, nec habeat vestes scissas de antea, & de retro.* Manumissio etenim libertatem quidem apud Francos, non secus ac penes Romanos conferebat, sed non ingenuitatem, vt patet ex celebri loco Thegani, Chorepiscopi, qui vitam Ludouici Pii scriptis mandauit, dum de Ebbone Remensi Episcopo humili loco nato, sic verba facit ; *Fecit te liberum, non nobilem, quod impossibile est post libertatem.* Vnde vt apud antiquos leges quædam fuere constitutæ, quibus honestorum natalium insignia non temere liceret vsurpare, vt Tertulliani verbis vtar ; sic & apud Francos singularis quædam in vestimentis nota fuit, qua nobiles a plebeiis distinguerentur, videlicet vt soli milites, id est cingulo militiæ insigniti, duobus ornarentur calcaribus : Ocrearum quippe vsus solis nobilibus reseruatus, vt constat ex chronico Gaufredi * Prioris Vosiensis nondum edito circa finem, vbi sui seculi vestium deformitatem notat : sic enim habet : *Omnes adolescentes longa in ocreis, vel caligis rostra ; Ocreas olim pauci & nobiles, modo plures & plebeii gestant ;* nec absimile nobilitatis indicium, veste indui in antica & postica parte, aperta : vtramque militiæ notam describit Adalbero Laudunensis Episcopus in poëmatio, quod scripsit ad Robertum Regem, his versibus, quos eo lubentius profero, quod nondum publici iuris facti sint.

Est incompositus posita iam veste priori :
Pilleus excelsus de pelle Libyctidis vrsæ,
Est vestis crurum tenus, est curtata talaris
Finditur anterius, nec parcit posteriori,

* *Scripsit ab anno 998. vsque ad 1183.*

*Ilia Baldringo * cingit strictissima picto,*
Multiplices, & res multa per cingula pendent,
Arcus cum pharetra, forceps, & malleus, ensis,
Ignitusque silex, ferrum quatiens simul ilex,
Ossa superficiem stringit diffusa deorsum.
Saltibus impressam pungunt calcaria terram,
Cœpit summa pedum contortis tendere rostris.

Ideo in Treuga Valentiæ Cauarum inita, *militibus faiditis*, vno tantum calcari pede accincto, sicut *iudicibus seruis* incedere licuit, ad differentiam militum nobiliorum, quibus ex rescripto Alexandri III. de Treuga, & Pace apud Ruthenos firmata, armatos progredi concessum est; clientibus vero non enses, sed baculos gestare.

His, atque aliis artibus, quæ ex vario Præsulum præscripto variæ fuere, tentarunt Pontifices vesanam hanc præliandi libidinem e potentiorum animis eradicare: Non vna enim, eademque fuit vbique firmandæ Pacis & Treugæ ratio; vnde Iuo Carnutensis ** recte aduertit, *Treuiam Dei, non esse communi lege sancitam, pro communi tamen vtilitate hominum, ex placito, & pacto Ciuitatis, & patria Episcoporum Ecclesiarum, esse auctoritate firmatam.* Decretæ siquidem hæ induciæ non solum ab Episcopis, sed etiam a cuiusque diœceseos Proceribus, adiunctis magistratibus municipalibus, quos *Capita populorum* vocat Concilium Lemouicense. Agebant quippe aduersus Pacis turbatores, Præsules vi anathematis, Proceres vero armis vltricibus, a quibus si abstinerent, censuris Ecclesiasticis ad officium, cui se iureiurando obstrinxerant, reuocabantur. Sed vana & impotens erat plerumque aduersus viros principes hæc constitutio, nam qui a Rege veniam impetrabat, mox anathemate solutus erat, vt constat ex notissimo responso iam sæpe laudati Iuonis Carnotensis; qui consultus a Daimberto Archiepiscopo Senonensi, an

* Baudrier.
** *Epist.* 9.

an ex præcepto Regis Ecclesiasticæ communioni restitueret, quemdam Pacis infractorem; respondet a rigore deflectendum, ne Regis læderetur animus, *quia Rerum temporalium,* vt inquit, *dispensationes Regibus attributæ sunt;* laudatque celebrem Capitularium locum, quo definitum, eos ad communionem a sacerdotibus admittendos, *quos Regia potestas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, vt quod Principalis pietas recipit, nec a sacerdotibus Dei extraneum habeatur.* Quod desumptum est ex Concilio Toletano XII. Can. 3. in quo sancitum, eos qui pacem conturbauerint, aut in Regem infenso fuerint animo, si postea eius indulgentiam promeruerint, ab Episcopis excommunicationis vinculo soluendos esse, siue a pœna publicæ pœnitentiæ. Quare vt penitus comprimeretur in Gallia bellorum priuatorum furor, stricta opus fuit Regis prohibitione: vetita quidem hæc bella a Beato Ludouico, sed iterum rediuiua Philippus IV. constitutione Tolosæ sancita anno MCCCIII. in perpetuum extinxit: Regum enim est de Bello & Pace cauere, quia vt loquitur B. Augustinus, * *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium, penes Principes sit.* Non enim Pacem quærunt sapientissimi Principes, vt bellum exerceatur; sed bellum gerunt, vt Pax acquiratur.

* *Epist.* 90.

III.

IO. STRAVCHII DISSERTATIO DE HOSTENDITIIS

RESPONDENTE

IO. REGVLO VILLINGERO

VLMENSI

IENAE MDCLXXI. 4.

§. I.

De Hostenditiis non nisi vnico Iuris feudalis loco, *libro scil. 2. F. 40.* §. 2. mentio occurrit, quam rem sub disputationis acumen vocaturus, ante omnia in veram ac genuinam Vocis significationem paulo accuratius inquirendum esse duxi; eoque magis, quod a nullo hactenus, quod sciam, Feudistarum recte sit exposita; non enim cum exteris in *Hostelitium* aut *Hostelitias* corrumpenda est, neque cum *Herislitio* confundenda, cui vocabulo sui proprii sunt natales:

§. II. Dicuntur E. Hostenditiæ, quasi Hostendienste, ab Hoste vel Ooste vocabulo mere Teutonico, quod notat Seruitium in Exercitu, vel pecuniam qua illud redimitur, eadem compositione, qua *Frohndienst, Herrendienst, Reitterdienst*, docente FREHERO *in comm. ad Imp. Karoli III. dicti Crassi Constitutionem de Expeditione Romanorum p. m. 25. & 26.*

§. III. Antiquas enim Germanorum LL. si inspicimus, deprehendemus, vocem Hoste, Hostis, idem notare ac exercitus aut expeditio: Goldast. *in glossar. quod præmisit Tom. III. Recess. & Constitut.* Hostis exercitus. ost. hoste. hueste. Ita in Lege Longobardorum *lib. 2. tit. 18. L. 5. Si res tradiderit*

&

& in hoste profectus fuerit. Et *L. 4.* verba: *in hostem vadere* mox in eadem Lege describuntur per verba! *Expeditionem facere.*

§. IV. Eadem significatio occurrit in Lege Salica. *tit. 32. §. 6.* verbo. *Scutum proiecisset in hoste & tit. 66. verbo: Si quis hominem in hoste occiderit:* In Lege Bauariorum *tit. 2. c. 4.* Ripuariorum. *tit. 63. & 65.* Saxonum. *tit. 5. c. 1. & passim.*

§. V. Et hanc FREHERI Originationem confirmant quoque aliquot Textus Feudales, in quibus vocabulum Hostis, pro Exercitu, castris & militia sumitur. *e. g. 1. F. 7. dicitur: Tunc enim possunt devestiri, nisi fecerint hostem Romæ, & 1. F. 20. Si insimul steterint, vel in hostem Regis acquisierint,* i. e. in Exercitu & Comitatu Imp. Romam profecti sint.

§. VI. Vnde refellitur Loccenii Originatio, ubi FREHERI Ετυμολογίαν cum laudat, addit: *Oostendienst,* quasi *aus* vel *us dem Dienst.* Verum si priscis Germanis ex Host vel *Oest-* & *dienst* vocabulum est compositum, vtique hosten non est compositum ex præpositione *us-* & articulo *dem.* Ut arguatur Loccenius.

§. VII. Atque sic satis ni fallor, investigata Ετυμολογία, accedimus ad ipsam πραγματολογίαν, describentes Hostenditias ex *2. F. 40. §. similiter.* hunc in modum.

§. VIII. Hostenditiæ dicuntur Adjutorium, quod faciunt Dominis Romam cum Rege in hostem (exercitum) pergentibus, Vasalli. Simile Scutagio Britannorum, quod est seruitium scuti in bello ferendi, domini iuuandi causa. Nam sub scuto reliqua omnia arma militaria comprehendebantur, vt tradit *Matthæus * Cragius tractatu feudali* in Scotia & Anglia obtinente *lib. 1. diegesi XI.* vbi addit, hoc scutagium seruitiis militaribus accenseri, quando publicæ expeditiones ad reprimendos hostes siue rebelles in ordinem redigendos, fiant: Quod si quis Scutifer in ea expeditione abfuisset taxatus est ad certam quan-

* *Thomas rectius audit.*

titatem domini feudi appendendam ; Unde nos describimus ita : Hostenditiæ sunt Operæ Vasalli, Imperatori debitæ, ad comitandum Eum in Expeditionem iturum.

§. IX. Causa Efficiens est Ius ad rem, quod ex Contractu feudali oritur Seniori in Vasallum, quippe quem, ratione rei in feudum concessæ, obligatum habet ad fidem præstandam. *II. F. 3. fin. 6. 7. 23. fin.*

§. X. Competit igitur hoc Ius in personam Vasalli, non ratione conditionis seu status personæ, sed quatenus Vasallus habet Feudum, sub obligatione ad fidem concessum. MOLIN. *in Consuet. Paris. tit. 1. §. 1. quæst. 5. num. 45.*

§. XI. Vnde facile apparet, Domino Feudi, quatenus tali, Ius Superioritatis in Vasallum non competere ; aliud enim est esse subditum alicuius. CARPZOV. *l. 4. resp. 70. n. 24.* Non enim sequitur, inquit *Matth. de Afflict.* Ego sum Vasallus. Ergo sum subditus. *add. II. F. 5. verb. si ideo.* Inde etiam est, quod dicitur in pacificatione Osnabrugensi : *Von der blossen Lehns-oder Affter-Lehns-Qualitat, sie kommen von Kænigreich Bœhmen, oder Chur-Fürsten und Standen des H. Rœmischen Reichs, oder anders woher, entstehet die Gerechtigkeit zu reformieren nicht &c.* Idem etiam innuit Illustris SEKENDORFFIVS *p. 3. c. 3. Tit. 4. Und ist sonst eben kein Regal, oder hohes Landes-Obrigkeitliches Stück, daß einer einem andern ein Stück Guts, oder gewisse Einkommen und Gerechtigkeiten zu Leben verleihet : Sintemahl viel geistliche und weltliche Persohnen, die keine hohe Obrigkeiten sind dergleichen Lehnleute, und offt hœhere, als Sie selbst sind, haben, bringet auch insgemein die Lehn-Herrschafft keine Unterthanen Pflicht mit sich, wenn der Lehn-Herr nicht zugleich Lands-Fürst ist.* Denique differt omnino Iuramentum Fidelitatis a Iuramento subiectionis. Germ. *Huldigung, Lands-Huldigung, Erb-Huldigung, Erb-Pflicht.* Quod subditi præstant suis superioribus : Illud ratione Rei in feudum datæ ; hoc ratione personæ, quæ in societate civili quoad personam & res, est Impe-

pe-

peranti subiecta, praestatur. *vid.* ROSENTHAL. *c. II. concl. 34.* BESOLD. *thes. pract. voc. Huldigung. & voc. Lehnmann. Lehnspflicht.*

§. XII. Hoc Ergo Ius ad rem non subiectionem Vasalli, sed saltem fidei praestationem importat. FIDES etenim de Essentia Feudi est. *II. F. 5. c. in epistola. de form. fidel. 2. F. 6. & c. est & alia. de nov. form. fidel. II. F. 7. c. dominus. §. Curia. de mil. vas. II. F. 22.* Dicitur etiam Fidelitas. *II. F. 3.* quae dupliciter in iure feudali accipitur. I. pro Fide, quae vel iuramento, vel sine eo promittitur. *II. F. 5. II. F. 6. & II. F. 7.* II. pro ipso iuramento fidelitatis. *vt in c. vtrum autem quid praeced. deb. II. F. 4. II. F. 24.* Et hoc quia ad naturam Feudi tantum pertinet aliquando Vasallo remitti potest. *II. F. 3. II. F. 24. v. t.* nihilominus tamen ad omnia ea, quae alias iuramento, a Vasallo praestando, continentur, ipse est obligatus. *II. F. 47. in fin.* SCHRADER. *part. 2. c. 2. num. 27. & c. 4. n. 14.* ROSENTHAL. *c. 2. c. 60. & c. 66.* Non enim omnis promissio Fidei, sed modus solum promittendi fidem per iuramentum est remissus. *d. II. F. 3. fin.*

§. XIII. Fides autem ipsa remitti nequit, nec feudum eo pacto constitui potest, vt pro eo Fides praestari non debeat, *II. F. 5. 6. 7. II. F. 22.* Vid. CVIAC. *in praefat. feud. in fin.* ZAS. *p. III. n. 34.* BORCH. *c. 7. p. 1. n. 37.* MOZZ. *de subst. feud. n. 1. & 20.* MENOCH. *cons. 1. n. 29. & cons. 65. n. 45. vol. 1.*

§. XIV. Quaerunt autem hic Dd. An ejusmodi pactio pro non adjecta habeatur ita, vt feudum nihilominus consistat, & fides debeatur: an vero hoc pactum totum vitiet actum, ita, vt nec aliud quoddam ius constitutum censeatur? Pro non adiecto pactum haberi, posset videri statuendum esse. *arg. l. 14. π. de precar. l. 1. §. 45. & 46. depositi. l. 14. iunct. l. 70. pro socio. l. 14. §. 2. comm. div.* Totum vero Actum vitiari tradit BOCERVS *tract. de subst. feud. c. 1. n. 19.* hanc afferens rationem, *qui enim,* dicit, *aliquod negocium, quod solum contrahere voluit, inutiliter agit, omissa scil. eius substantia, is non modo idem illud negocium*

cium frustra & inutiliter tractat, sed & nullum aliud negotium conficere, in eo ipso censetur. sec. text. l. I. §. 4. de const. pec. l. c. §. 2. π. de V. O.

§. XV. Verum enim vero ad Quæstionem hanc recte decidendam, in genere notanda venit distinctio pactorum circa Essentialia adiectorum.

Vel enim illa plane sunt contra iura, & manifestam continent iniquitatem, & hæc non valent, sed habentur pro non adiectis. *vid. l. 27. §. 3. de pact. l. 29. §. 2. pro Soc.* Exempli gratia. Si in precario aut deposito convenerit, vt non nisi post certum tempus repetatur *l. 14. π. de precar. l. 1. §. 45. & 46. depositi.* Vel pacta de substantialibus Iuri non contrariantur, & tunc sunt aut præter aut contra Essentiam: Ita Contractum vel Ius alterant, non tamen efficiunt, vt alius plane Contractus vel Ius constituatur. *vid. l. 24. l. 26. §. 1. π. depos.* Atque eo spectant pacta feudo adiecta, quibus vel plus vel minus, quam vtile dominium, Vasallo conceditur: Hæc vero quæ sunt contra essentiam, ita transformant ius vel Contractum, vt alius plane Contractus vel Ius inducatur. *vid. l. 80. §. vlt. π. de contrah. empt. l. 46. locat. l. 22. de præscr. verb. §. vlt. Inst. de mand. verb.* in aliam formam negocii cadere *§. 2. in fin. Inst. quib. mod. re contrah. Oblig. l. 5. §. vlt. pro Soc.* Atque huc etiam pertinet pactum, quo Obligatio ad fidem ei, cui conceditur dominium vtile, remittitur; quippe cum eo ipsa formalis ratio feudi tollatur. Non igitur pro non adiecto habetur, quia non est contra iura, vtile dominium alteri contractu quodam, absque obligatione ad fidem præstandam concedere: Et feudum quidem non constituitur, sed aliud quoddam ius, siue alia quædam vtilis dominii species oritur. *arg. dd. text.* ROSENTHAL. *l. c. 2. concl. 57.* Ratio insuper ex EOCERO relata non obstat; distinguendum enim est; aut constat quod partes noluerint inire alium Contractum, quam illum, quem expresserunt, nec ex alio velint esse obligati, & tunc non obseruatis iis quæ ad illum Contractum requiruntur, vitiatur omni-

omnimodo actus, quo de casu est *alleg. l. 1. §. 4. π. de constit. pec. & l. 1. §. 2. π. de V. O.*

Aut vero constat, quod contrahentes velint esse omnino obligati; quando videlicet Contractum partes quidem celebrant, sed per expressum pactum eius essentiam alterant vel transformant; & totus actus non vitiatur, sed propter voluntatem expressam paciscentium aliud negotii genus oritur, vt modo diximus. vid. Magnif. Dn. D. STRUVE. *S. F. c. 2. aph. 6. fin.* SCHRADER. *p. 2. c. 2. n. 34. & seqq.*

§. XVI. In quo vero FIDES illa, ad quam Vasallus se obligat, consistat, traditur *II. F. 6.* & patet quoque ex formula iuramenti proposita. *II. F. 7.* cuiusmodi etiam hodie adhiberi solet. V. SCHNEIDEWIN. *epit. feud. p. 5. c. 1.* SCHVLZ. *c. 9. n. 35.* WERN. ab EHRENB. *tract. de fœder. c. 1.* BOCER. *d. tr. c. 4. n. 20.*

§. XVII. Et quidem in genere Eadem consistere videtur, in Reverentia Domino a Vasallo exhibenda; Taciturnitate, & Vtilitate Domini. V. VULTEI. *de feud. lib. I. c. V.* WESENBEC. *c. 9. n. 10.* HART. HARTM. *lib. 2. de feud. obseru. 30.* CVRT. IVN. *p. 4. n. 1.*

§. XVIII. Ad Reverentiam Vasallum merito obligat collatum Beneficium, *arg. l. 25. §. 2. π. de petit. hered.* de qua videantur *texx. II. F. 22. vers. curia autem. & II. F. 25. vers. quomodo enim.* ex quibus & aliis patet, Vasallum ita se gerere debere, vti erga illos faciendum est, quorum persona sancta & honesta videri debet. *l. 9. π. de obseq. parent. & patron. præstand.* SCHRADER. *part. 6. c. 6. n. 101. & p. 10. sect. 5. n. 127.* SCHNEIDEWIN. *p. 5. n. 115. seqq.*

§. XIX. Non igitur criminis alicuius Dominum Vasallus accusare potest. *II. F. 33. §. item similiter. 24. §. item si delator.* Excipitur a Dd. Crimen perduellionis & læsæ Maiestatis, de quibus criminibus dominum a vasallo recte accusari volunt. MATTH. *de Afflict. d. II. F. 24. §. item si delator. n. 13.* SCHENCK, BARO. *ibid.* RITTERSH. *lib. 2. c. 1. quæst. 8.* LVDWELL. *arg.*

Nov. 115. c. I. §. 3. in Synopſ. Feudal. cap. 14. p. 364. SONSBEC. *p. 12. n. 48.* Nec actionem famoſam aut exceptionem adverſus Eum intentare. *arg. c. eſt & alia. de nou. form. fidel. II. F. 7. l. 10. §. 12. π. de in ius voc. l. 1. c. 1. de dol. l. 2. & l. 5. π. de obſeq. par. & patron. præſtand. l. 4. C. eod.* Hinc nec interdicto vnde vi aduerſus dominum vaſallum experiri poſſe Dd. tradunt. *arg. l. 1. §. 43. π. de vi & vi arm. II. F. 22. verb. ſalua reuerentia.* Vid. ALVAROTT. *ad d. c. 22. p. 2. n. 9.* ZAS. *p. 11. n. 23.* Dn. RITTERSH. *lib. 2. c. 1. quæſt. 7.* HVNN. *c. 13. p. 355.* ubi ad contraria reſpondet. LVDWELL. *Synopſ. Feud. c. 14. p. 365. Diſſ.* VULT. *1. F. c. 11. n. 27.* ROSENTHAL. *c. 10. concl. 23. n. 3.* BORCH. *c. 9. n. 18.* tamen prior Opinio & communior eſt & varior per textum *in c. dominus. II. F. 22.*

§. XX. Quæri inſuper hic ſolet, an propter reuerentiam hanc Domino debitam, Vaſallus ſine venia dominum in ius vocare queat?

Qua de re variæ ſunt Dd. Opiniones, vt videre eſt *ap.* ALCIAT. *ad L. 1. C. de in ius. voc.* VULTEI. *lib. 1. de feud. c. X. n. 32.* Dn. RITTERSH. *d. c. 1. quæſt. 14. & 15.* NIELL. *D. de feud. 10. th. 4. B.*

§. XXI. Sunt enim qui *Negant. arg. l. 13. & 14. π. de in ius voc. & l. 2. d. tit.* Quos inter eſt ZAS. *epit. feud. p. 7. n. 47.* OLDENDORP. *claſſ. 1. act. 4.* HART. HARTM. *in Obſeru. pract. tit. de feud. Obſ. 44. in addit.* Vbi Præiudicium Cameræ Imperialis in Negatiuam ſententiam allegat. SICHARD. *conſil. feud. 8. quæſt. 1.* vbi itidem pro Negatiua aliquando Tubingenſes conſuluiſſe perhibet.

§. XXII. Sunt etiam qui *Affirmant. cum Gloſſ. ad d. c. dominus II. F. 22.* ibique ALVAROTT. *n. 8.* BALD. *n. 24.* IVL. CLARVS. *d. c. feudum.* FACH. *10. controu. 89.* CANTIVNC. *conſil. 2. n. 7.* & complures alii relati a CAMILLO FORELLO. *in ſum. deciſ. tit. 45. n. 730.* MYNSINGER. *4. obſeru. 92. in fine.* GAIL. *de pignor. c. 15. n. 4.* ROSENTHAL. *5. Feud. 69. lit. b. &* BORCH. *c. 10. de feud. n. 38.*

Qui

Qui posteriores vno ore confitentur, quotidie in Camera Imperiali Affirmatiuam obseruari.

§. XXIII. Verum enim vero, licet Affirmatiua verior esse videatur, eo etiam quia propudiosa in Ius vocatio, qua olim antagonistam vbicunque deprehensum propria authoritate prehendere, & inuitum obtorto collo ad prætorem trahere actori licebat, hodie sublata est, adeoque cessante ratione impetrandæ veniæ, cessat dispositio. V. B. CARPZOV. *ad p. 1. C. 2. n. 26.* Nihilominus tamen modeste ac reuerenter adhuc Citatio impetranda erit. vid. ROSENTHAL. *vol. conclus. 33.* SCHNEIDEWIN. *epit. feud. part. 5. n. 119.* CLAR. *c. feudum. quæst. 25.* MYNSINGER. *4. Obseru. 92.* CARPZOV. *p. 1. c. 2. defin. 26.* Magnific. Dn. STRUV. *S. F. cap. XI. aphorism. III. & S. I. C. Exercit. 5. thes. 9.*

§. XXIV. Porro Honor domino debitus exigit, ne Vasallus testimonium dicat aduersus dominum *II. F. 33. §. similiter. arg. l. 4. ff. de Testibus. l. 12. C. eod.* Neque in criminali causa, neque in ciuili modica *d. tex. II. F. 33. §. similiter. & §. seq.* In ciuili vero non modica seu magna testari contra dominum impune ipsi licet. Quamuis nonnulli sint, qui cum CVIACIO & GOTHOFREDO hunc Textum variis modis corrigant, & dictam particulam modica, modo huc & illuc transponant: Nobis tamen res clara esse videtur; cum Ratio prioris sit hæc; quod in criminali quidem causa non liceat, propter graue quod inde sustinet dominus dispendium. *II. F. 24. c. item si delator.* Liceat vero in Ciuili, quod istiusmodi graue dispendium in ea cessit, adeoque merito iusta causa aduersarii testimonio vasalli adiuuetur; In causa autem modica cum non multum prosit aduersario testimonium vasalli, & tamen ista causa molestus sit aduersarius domino, ipsique negotium facessat, iura feudalia in tali causa, vasallum testimonium perhibere noluerint. Vid. ROSENTHAL. *& alleg. c. 10. concl. 23. n. 25.* Dn. D. STRUVE. *S. F. c. II. th. 3. n. 3.* BOCER. *tract. de iur. & comm. senior. c. 2. n. 4.*

Vel etiam hæc Ratio esse potest, quod in causa Ciuili modica testimonium contra dominum dicere prohibetur: Quia sc. contra eum vasallus prouocatur cui Obsequium debet: Ergo non adeo promptus debet assurgere, nisi Iustitiæ fauor præponderet; & causæ magnitudo eum excuset, tanquam necessitate ad hoc coactus fuerit. Vid. MOESTERTIVS. *D. F. VI. thes. 9. in fin. conf.* SONSBEC. *p. 12. n. 68.* STEPH. GRATIANVS. *3. discept. for. 597. num. 1.*

§. XXV. Ceterum hanc Testimonii prohibitionem tam in causa Ciuili quam Criminali, Dd. ita explicant & limitant; Eam scil. procedere in causis non feudalibus; quoniam in causa feudali super inuestituræ negotio etiam contra dominum recte testimonium fert vasallus. ZAS. *pag. 10. num. 49.* SETZ. *D. feud. 9. thes. 8. lit. C.* Deinde si non sponte, sed coactus Testimonium dixerit. Hoc enim casu eum excusari Dd. tradunt GLOSS. *in d. c. prima autem. c. 2. verf. item si delator. II. F. 24. & d. c. sciendum. §. similiter. II. F. 33.* Si enim vasallus ad testimonium contra dominum vocatus resistat, & nihilominus a Iudice vel Magistratu cogatur, tunc absque periculo testimonium perhibere potest. Docente ALVAROTT. MATT. *de* AFFLICTIS. *in d. text.* FRANC. CVRT. *part. tract. feud. 4. caus. priu. 32. n. 7.* Cum nulla ipsi Culpa imputari possit. ZAS. *d. p. 10. n. 49.* VULTEI. *lib. 1. c. 11. n. 42.* IACOB. de S. GEORG. *verb. dictique vasalli promiserunt. num. 25.* MOZZ. *ex quib. caus. feud. amitt. num. 32.* atque se in facti contingentia aliquoties vidisse seruari, testatur BORCH. *c. 8. n. 128.*

§. XXVI. Ex Eadem præterea Obligatione ad Reuerentiam fluit, quod non possit exigere a domino vasallus iuramentum calumniæ. *II. F. c. 33. in quibus.* Idque siue vasallus iuramentum fidelitatis præstiterit, siue non. Nam quod nonnulli posteriori hoc casu tam dominum, quam vasallum de calumnia iurare oportere volunt, GLOSS. *in d. c. in quibus. ibid.* ALVAROT. & SCHENCK. BARO, *ad d. c. d.* HARTM. *d. obs. 45.* BORCH.

c. 10.

c.10. n. 40. & alii, recipiendum non videtur, tum quia *text. in d. c. ſciendum. c. 1.* indiſtincte loquitur, tum etiam quod ratio propter quam iuramentum Calumniæ remittatur, non tantum ſit iuramentum fidelitatis ſemel præſtitum; Sed etiam, & quidem præcipue mutua Reuerentia & Fides, quam ſine iuramento quoque ſibi inuicem debent dominus & vaſallus, *c. in epiſtola. in fin. de form. fidel. 2. F. 6.* VULTEI. *lib. 2. de feud. c. 3. n. 8.* ROSENT. *d. c. 12. concl. 13. n. 58.* SETZ. *diſp. feud. vlt. th. 16. lit. A.* Neque etiam diſtinguendum puto inter iuramentum calumniæ antiquum ſiue ſpeciale, quod præſtari ſolet ab eo, qui alteri iusiurandum in iudicio defert; & nouum ſeu generale, quod a Iuſtiniano introductum, initio Litis ab vtraque parte præſtandum eſt. *l. 2. C. de iureiur. propter calumn.* ita, vt cum HOTTOMANNO & CVIACIO Textum de priori accipiamus, *l. 16. ff. de iureiur.* de poſteriori vero negemus, *l. 34. §. 4. ff. eod.* Hanc enim *Legem 34. §. 4.* quod attinet, correctione aliqua eam indigere cum CVIACIO *9. Obſ. 37.* exiſtimamus, ita vt legendum, æque patrono atque parentibus remittitur: quam lectionem præter *l. 8. c. 5. ff. qui ſatisd. cog.* confirmant libri Baſilicorum, in quos *d. §.* ita translatus: Ὁ ἐπάγων πρῶτος ὄμνυσι τὸν περὶ συκοφαντίας, ἐὰν ἀπαιτηθῇ, ὃν οὐκ ὄμνυσι πατὴρ, ἢ πάτρων. *Lib. 22. tit. 5. l. 34. edit. Fabrott. tom. 3. fol. 138.* vbi etiam in Scholiis *lit. K. fol. 162.* additur Ratio: οἱ ἀνίοντες τὸν συκοφαντικὸν ὅρκον ὁμοίως δὲ καὶ οἱ πάτρωνες οὐδέποτε ὀμνύουσιν. διὰ δὲ ἐχθ. αἰσχρᾶς ὑποψίας ἀποφυγὴν. ἤγουν ὅτι οὐκ εἰσι συκοφάνται. Atque hæc Ea ipſa videtur eſſe Ratio, quod Dd. communiter Textum generaliter intelligunt, vt nullum omnino iuramentum calumniæ dominus & Vaſallus vnquam præſtare cogantur. Gloſſ. *in d. c. ſciendum. §. 1. ibique* ANDR. de ISERN. *n. 8.* BALD. *n. 1. & 2.* ALVAROTT. *n. 1.* & alii. Niſi forte vltro quis ad iusiurandum ſe obtulerit, quo tamen caſu alteri parti neceſſitas præſtandi non imponitur: cum ſuo quidem iuri quilibet renunciare poſſit, ſed aduerſario ius quæſitum auferri nequeat.

BALD. ALVAROT. PRÆPOS. & SCHENCK. BARO. *ad d. c. sciendum. c. in quibus.* ROSENTHAL. *d. concl. 13. n. 48.* WVRMSER. *lib. 1. tit. 14. Obs. 7.*

§. XXVII. Ceterum dicta Reuerentia Vasalli erga Dominum requirit etiam, vt Vasallus, casu eueniente, renouationem inuestituræ iusto tempore a Domino petat. *II. F. 40. II. F 24. pr. I. F. 22.* eo quod petitio Inuestituræ sit signum deuotionis ac Reuerentiæ, quam Vasallus Domino suo exhibere debeat. *arg. c. prima autem. pr. quæ fuit prin. causa. benef. amitt. II. F. 24.* ibique Feudistæ communiter. teste BORCH. *c. 7. n. 30.* CVRT. IVN. *p. 4. n. 45.* MOZZ. *de substant. n. 4.* SCHNEIDEWIN. *p. 5. n. 4.* Est autem hæc Renouatio nil aliud, quam confirmatio & quasi redintegratio Inuestituræ de feudo primitus factæ. *c. inuestitura. pr. ibique* Gloss *2. F. 3.* VULTEI. *I. F. c. 7. n. 96. seq.* MENOCH. *consil. 66. n. 28. & 40. vol. 1.* Feudistæ communiter. *in c. 1. de probib. feud. alien. per Lothar. & in auth. hoc ius porrectum C. de SS. Eccl.* Hæc enim nihil noui iuris addit, sed id, quod inuenit, confirmat SCHENCK. BARO. *in c. 1. n. 1. quid praced. deb.* SCHRADER. *p. 6. c. 3. n. 29. seq.* Vnde perhibent renouari debere feudum per inuestituram sub eadem forma & pacto, quo prima Inuestitura facta fuit. BARTOLVS *in l. quod dicitur. n. 9. ff. de impens. in rem. dot. fact.* BALDVS. *in l. 1. quæst. 15. ff. de R. D.* quomodo inuestituram esse renouandam iudicauit Camera Imperialis. *23. Ianuarii. An. 1544.* adeoque in feudo renouato repetitas censeri omnes qualitates inuestituræ primæ. BALD. *in l. vnica. n. 31. C. quando non petent. part.* ALEX. *cons. 30. n. 6. vol. 1. & cons. 107. vol. 4.* Toties vero hæc Inuestituræ Renouatio est petenda, quoties persona vel Domini vel Vasalli mutata est, puta, alterutro vel vtroque mortuo. *c. 1. pr. vbi* ISERN. BALD. ALVAROTT. & AFFLICT. *quo tempore miles.* IACOB. de S. GEORG. *in inuest. verb. dictique vasalli. n. 2.* CVRT. IVN. *p. 4. n. 54.* ZAS. *p. 10. n. 16.* SCHRADER. *p. 6. c. 1. n. 1.* ROSENTHAL. *c. 6. concl. 30.* A quibus autem Eadem petatur, vel etiam qui petere

tere

tere Eandem debeant, prolixe nos docent Feudistæ *ad c. inuestitura c. 1. per quos fiat inuestitura. II. F. 3. 2. F. 26. & 2. F. 77. conf.* LVDWELL *Synopf. Feud. §. 11. p. 289. & imprimis Eius Tract. de Renou. Inuestit. cap. 10.* VULTEI. *lib. 1. c. 7. n. 134.* quæ omnia & singula hac dissertatione complecti nequimus, cum breuitas nobis pro Lege sit.

§. XXVIII. Illud autem adhuc Obseruationem aliquam mereri videtur quod hæc Inuestituræ Renouatio peti debeat intra annum & diem. *d. c. prima autem. pr. 2. F. 24. d. c. Imperialis. §. fin. 2. F. 52. & d. c. Imperialem. in fin. pr. 2. F. 55.* ARDIZ. *in summ. feud. c. 42. & 72.* CVRT. IVN. *de feud. p. 4. n. 24.* DVAR. *de feud. c. 14. n. 2.* WESEMBEC. *conf. 148. n. 12. seqq.* PARIS. *conf. 101. n. 31. vol. 1.* FORCATVL. *de feud. c. 4. pr.* COLER. *decis. 83. n. 1.* FERRAR. *3. coll. 6.* Neque hic obstat. *c. sancimus pr. quo temp. mil. inuest. pet. 1. F. 22.* In quo annus & mensis requiri videtur. Hinc diuersæ Dd. opiniones hac de re. Alii enim cum HOTTOM. & CVIACIO textum corrigendum, & pro voce *mensem, diem* legendum esse existimant: Alii speciale quid esse, adeoque solis *militibus* fauore *militiæ* indultum autumant, quos inter est LVDWELL. *Synopf. feud. c. 2. p. 294.* MYNSINGER. *d. cent. 5. Obseru. 9.* ROSENTHAL. *c. 6. concl. 30. n. 7.* Alii denique cum VVLTEIO & STRUVIO asserunt, iure quidem *annum & diem* definitum fuisse, iuxta textus allegatos; non tamen ita stricte obseruatum in iudiciis, sed si Vasallus post lapsum *anni & diei* venisset, intra spacium 29. dierum moram commissam, celeri quadam satisfactione pro purgata habitam fuisse: *per d. c. 1. quo temp. miles.* quod innuere videtur particula VLTRA. *d. c. 1.* Adeoque diem in iure feudali, non naturaliter, sed ciuiliter accipiendum esse, ita vt non vnus dies, sed aliquot dies vltra annum intelligantur, author est SIER. REVSNERVS. *colleg. feud. disp. 4. th. 19.* & FINCKELTH. *disp. 7. contr. 16.* Quot autem dies induli sint moribus Longobardorum, exprimitur *d. 2. F. 22.* vbi anno mensis adiicitur. Et hæc Explicatio confirmatur

tur Iure Saxonico: quo itidem formula annus & dies, *Jahr und Tag*, non denotatur annus & vnicus dies sed plures dies vltra, annum, nimirum sex septimanæ cum tribus diebus. *LandR. lib. 1. art. 28.* Gloss. Et quoad hanc ipsam Renouationem Inuestituræ annus & dies explicatur per sex septimanas. *LehnR. c. 22. & 25.* Atque hæc Sententia, vt benignior, recipi omnino meretur.

§. XXVIII. Dicta Vasalli erga Dominum Reuerentia quoque requirit, vt Instrumentum Inuestituræ, & sic titulum possessionis suæ edat. Gloss. *in* §. *Imperialem.* §. *illud quoque 2. F. 55.* HARTM. PISTOR. *p. 2. quæst. 46.* NICOL. INTRIGL. *de feud. art. 84. fin. cent. 2.* pro iustificanda scil. possessione feudali: Ita enim germanice dicunt: *Lehns*-Iustification. Atque huc pertinet vsurpata hac in re Clausula: *Die vorigen Muthzeddel* in originali, *dem hiesigen Cantzeley-Gebrauch gemeß mit zur Stelle bringen.* Non tantum autem in iudicio, sed etiam extra iudicium petenti domino vasallus Instrumenta Inuestituræ edere tenetur. *arg. l. Titius hæres. vbi Alberic. ff. de act. empt.* ISERN. *in c. 1.* §. *illud quoque de prohib. feud. alien. per Frider.* BORCH. *c. 8. n. 117.* IASON. *in prælud. feud. n. 51.* WESEMBEC. *d. consil. 195. n. 164. seqq.* Atque hæc de Reuerentia dicta sufficiant.

§. XXIX. De Taciturnitate res est expedita quod Vasallus non possit pandere secreta domini sui. Gloss. *in c. de forma. 32. quæst. fin.* & regulare id esse respondit DECIANVS *cons. 27. n. 23. vol. 1.* Adeo, vt vasallus reuelans secreta, id est, dicta vel facta Domini sui, feudum amittat. *per text. in c. 1. quib. mod. feud. amitt.* BALD. *in c. 1. verb. credentia. de pac. Const. & in l. nullum. C. de Testibus.* IASON. *consil. 87. & 89.* CRAVET. *cons. 224. n. 6.* CÆPOL. *consil. 39. n. 29.* quam rem valde esse periculosam, dicit WESEMBEC. *de feud. c. 15. n. 6.* ideoque monet tria desiderari, vt ex hac causa feudum amittatur. 1. Vt Vasallus id fecerit scienter & dolo malo. *d. c. 1. quib. mod. feud. amitt.* 2. Vt id fecerit animo afficiendi dominum damno. *d. loco.* Gloss.

&

& AFFLICT. *in c. 1. quib. mod. feud. am.* SCHRADER. *9. feud. 3. n. 1.* RACIAN. *2. de probat. 40. n. 15. 310.* vt reuera damnum inde sit secutum. ZASIVS *p. 10. n. 34. seqq.* SONSBEC. *p. 11. n. 62.* MOZZ. *ex quib. causis. feud. in n. 35.* Quod postremum tamen non semper requiritur, cum nonnunquam feudo priuari possit vasallus, si modo eo animo reuelauit, vt domino noceret GIGAS *de crim. Laes. Maiest. quaest. 21. n. 8.* BORCHOLT. *c. 8. n. 127.* Controuersia autem Vasallo si ea de re incidat, ipse probare debet malitiose a se secreta non esse reuelata, ALVAROT. *in c. 1. quib. mod. feud. am.* ZAS. *p. 10. n. 35.* CVRT. IVN. *de feud. part. 4. consf. 37. n. 76. fin.* SCHRADER. *9. feud. 9. n. 44. 50. seqq. & part. 9. sect. 12. n. 34.* BARDELL. *1. consf. 101. n. 57. seqq.* ROL. a VALLE. *consf. 1. n. 89. vol. 3.* Sed probe hic notandum, quod scribit HEIGIVS *2. quaest. 40. n. 48.* nimirum si vasallus conuincatur secretum domini reuelasse, ipse autem contendat, se id non mala mente & animo fecisse, eundem iurare debere, se id eo animo non fecisse, vt domino noceret: Atque hoc etiam affirmat IACOB. de S. GEORG. *in verb. dictique vasalli promis. comm. fel. n. 28.* Sed SCHRADERVS. *sup. cit. loco.* contrarium tenet, atque vasallum hoc casu ad iurandum admitti non debere asserit; Cuius Sententia verior & conscientiae tutior esse omnino videtur.

§. XXX. Ad vtilitatem denique & Incolumitatem Domini promouendam, quouis loco ac tempore Vasallus omnino est adstrictus; Commodum autem domini promouet, & damnum Eiusdem auertit in genere quidem ita se gerendo, ne vel omittendo vel committendo obsit 1. Vitae & corporis INCOLVMITATI & SECVRITATI. 2. Bonorum TVTAE, FACILI & POSSIBILI conseruationi aut acquisitioni; aliiue VTILITATI; & HONORI domini. *2. F. 5. 6. 7.* Vid. ANDR. KOHL. *de seru. feud. l. 4. n. 13 seqq.*

§. XXXI. In specie vero Vtilitatem domini promouet Vasallus per Seruitia feudalia: siue vasallitica, & militaria. *Lehen oder Ritterdienste. 2. F. 23. fin. & 2. F. 55. c. firmiter. consf. 1.*

F. 5. pr. 19. 20. 21. 2. F. 12. 21. 26. §. beneficium. Est enim de Natura feudi, vt vasallus domino suo eo nomine seruitia praestet. *per. c. 1. §. firmiter. de probib. feud. alien.* BORCH. *in c. 1. n. 19.* ARDIZ. *rubr. 33.* MOLIN. *in consuetud. Parisiens. de feud. tit. 1. n. 52. & 53.* Non vero de Essentia feudi est: quia feudum etiam ita concedi potest, vt nulla omnino a Vasallo praestentur seruitia. *arg. c. significauit. 41. X. de testib. & attestat.* Quod feudum Francum siue liberum appellant BALD. *in praelud. feud. n. 53.* ALVAROT. *in praeloq. diuis. 2.* ZAS. *p. vlt. n. 36.* SCHRADER. *p. 8. c. 2. n. 32.* CVRT. *tr. feud. p. 1. quaest. 8. n. 27.* ARVM. *D. F. 1. th. 38.* DEC. *cons. 193. n. 4.* adeoque salua feudi essentia pacto fieri potest vt seruitia vasallo plane remittantur. ISER. *in c. n. 11. quib. caus.* MOZZ. *de accident. feud. n. 31.* ANDR. KOHL. *de seruit. feud. p. 1. n. 5. 6. 7. seqq.* MENOCH. *cons. 1. n. 31.* Iam vero quae formae sunt, ea ex pactis immutari nequeunt: Seruitia igitur non de substantia, sed saltem de feudi natura esse ex dictis constat. Neque etiam hic obstat. *c. 1. in quib. caus. feud. amitt. ex. F. 23.* vbi seruitiorum expressa in descriptione fit mentio: quoniam ad ea respexit Feudista, quae ex natura feudi insunt, etiamsi nihil de iis dictum vel actum fuerit. ISERN. *ad d. c. 1. Obertus. n. 9.* SCHENCK. *num. 3.*

§. XXXII. Consistunt autem illa seruitia, in Opera, qua tam belli quam pacis tempore, consilio atque auxilio, domini vita, corpus, honorque defenditur, territorium aliaue bona ac iura conseruantur atque augentur: Quae opera regulariter est militaris, & equis armisque praestatur: vnde vocari consueuit, *Ritterdienst. vid. 1. F. 5. pr. 19. 20. 21. 22. F. 12. 21. 26.* §. beneficium. Eaque secundum communem feudi naturam est indeterminata, sed moderate a domino exigenda, & cuiusque loci consuetudo, vt & quantitas feudi attendenda est ROSENTHAL. *c. 8. concl. 4. n. 3.* GAIL. *2. obs. 62.* Vnde plerumque recurri solet ad schedulas lustratorias *Muster oder Forirzettel.* Vt quot equis delectu facto quis comparuerit, tot seruire obligatus esse praesumatur. KNICHEN. *de pact. pest. p. 2. c. 5. n. 19. de iur. terr.*

c. 3.

c. 3. n. 366. Quandoque vero in Inueſtituris hæc Opera determinata reperitur. v. gr. vt vaſallus vno, duobus tribusue equis ſit præſto, *daß er das Lehn, mit einem, zwey oder drey Ritter-Pferden bediene.* IACOB. de S. GEORG. *tract. de feud. verb. & promiſſ.* HEIG. *1. quæſt. 18. n. 12. 14.* BOCER. *c. 4. n. 30.* Vel etiam ſi exigua ſunt feuda, vt ratione duorum vel plurium feudorum vnus alatur & mittatur cum milite equus: *Daß das Lehn ein halb Ritter-Pferd oder weniger halte.* KOHL. *de ſeru. feud. p. 4. n. 95.* ANTON. *diſp. feud. 7. th. 3. lit. C.*

§. XXXIII. Præſtanda autem domino eſt a Vaſallo hæc Opera militaris, quando Eadem indiget, Dominum autem Ea indigere, cum facti ſit, quod diuinare citra denunciationem Vaſalli nequeant, ſequitur, iſtiusmodi operam omnino prius Vaſallis intimandam ab iisdemque ſpecialiter petendam eſſe. *arg. pr. noſtri textus. verb. in petend. hoſtendit. Et c. ſecundi Conſtitutionis Karolin.* his verbis; *Annus cum ſex hebdomatibus ad præparationem nobiſcum euntium pro induciis detur, & per totum taliter regnum fidelibus noſtris indicetur.* Vaſallus etenim non niſi requiſitus ad ſeruiendum ſeſe ſiſtere tenetur. *2. F. 26. §. licet. F. 28. §. ad hoc. 2. F. 37. in fin. conf.* ZAS. *p. 7. n. 27.* BORCH. *c. 1. n. 24.* Et ad ſeruitia præſtanda, quando iis opus. *1. F. 21.* interpellatio ſiue Indictio omnino eſt neceſſaria. *dict. 2. F. 26. §. licet. & 55. c. firmiter.* Quæ olim ſcripto aut voce præconis fiebat & illa Latinitate dicebatur Bannus, mulcta autem emanentis Heribannus vocabatur; Et indicebatur in duorum hominum ſiue comparium præſentia: vti nos docet vetuſtus quidam Auctor *de Beneficiis. c. 9.* *Et textus aliquis feudalis. lib. 2. F. tit. 54. de Allodiis* ita conceptus: *Si de vocatione legitima a Domino ſuo conuinci per compares ſuos poterit, feudum perdat; & dominus in ſuos vſus illud habeat redigendi liberam facultatem.* Ceterum de iure communi feudali talis interpellatio ſiue Indictio vel generalis eſt, quæ fit per ſolam certiorationem, ad hoc vt parati ſint Vaſalli; vel ſpecialis. *2. F. 7.* quæ fit periculo appropinquante,

 quan-

quando locus simul indicatur lustrationis, vbi comparendum sit: Prioris Exemplum exhibent hæ Litteræ Euocatoriæ, quas adhuc adiicere haud superuacaneum esse duximus; quarumque subiecta Copia ita sonat: *Von Gottes Gnaden, Iohann Philipp, Hertzog zu Sachßen &c. Lieben getreue, weil sich die Gefahr im Heil. Ræmischen Reiche, von Tage zu Tage besorglicher anlest, indeme allerhand gefæhrliche motus und Kriegs-Empærungen sich hin und wieder ereignen, also, daß wir unumbgænglich verursacht und bewogen werden, (ohngeachtet wir mit niemandem in unguten zu thon) unsere Sachen in gute Acht zu nehmen, wie wir und unsere Lande und Leuthe so viel mæglich vor unbillichem und unverschuldetem Gewalt, vermittelst des Allmæchtigen genædiger Verleyhunge gesichert seyn und bleiben mæchten; als begehren wir vor uns und die Hochgebohrne Fürsten, unsere freundliche geliebte Brüdere und Gevattern Herren* N. N. &c. *Ihr wollet Euch, vermæge euer Pflicht, mit den Pferden und Knechten, mit welchen uns, und genanten unsern geliebten Brüdern, auch unsern freundlichen lieben Vettern, Fürstl. W. Linien Ihr zu dienen schuldig, also und der Gestalt gefast machen; Daß ihr auff ferner unser Zuschreiben an dem Orte, dahin wir Euch erfordern mæchten, bey Tage und Nacht ohne Aussenbleiben erscheinet, und Euch hieran nichts als Gottes Gewalt, verhindern lasset. NB. Im Fall Ihr aber durch Leibes-Ungelegenheit davon abgehalten würdet, nichts desto weniger eine solche Persohn, damit wir zu frieden seyn kænnen an euere Statt samt zugehærigen Pferden und Knechten ohnfehlbar schicket, und solches nicht anders haltet. Daran geschicht unsere zuverleßige gentzliche und gefællige Meinung.* Datum N. *am* 24. Martii. Anno. 1626.

§. XXXIV. Quando itaque hunc in modum petita prius ac requisita fuit hæc opera, tunc omnino quoque a Vasallo Domino erit præstanda, & quidem iuxta Indigentiam Eius tam belli quam pacis tempore cum sc. in periculo est constitutus, *2. F. 7. & 26. §. licet. 28. verß. adhuc* maxime autem cum guer-

ram facit. *2. F. 28. pr. c. domino.* modo causa iusta & rationabilis sit; tunc enim vasallus dominum tam in defendendo quam offendendo omnino adiuuare tenetur *2. F. 7. c. est & alia. vers. etsi sciuero.* ZAS. *p. 7. n. 27.* BORCH. *c. 7. 45.* Idem dicendum si causa dubia sit. *c. domino. 2. F. 28.* quoniam determinatio istius dubii ad vasallum non pertinet, sed debet obsequi domino suo, cuius persona, ipsi sancta & honesta videri debet. *arg. l. 9. ff. de obseq. par. & patr. præstand.* BALD. *ad d. c. domino.* Sin vero causa notorie & euidenter sit iniusta vasallus domino auxilium præstare non tenetur. *c. 1. vers. etsi sciuero. de nou. for. fidel.* ZAS. *p. 7. n. 28.* BORCH. *c. 7. n. 44.* MENOCH. *consil. 281. n. 32. vol. 3.* Si tamen dominus, etiam iniuste bellum gerens, in magno periculo constituatur, defendere ipsum tenetur vasallus. *2. F. 28. verb. adiuuet eum ad eius defensionem.* Vid. KOHL. *p. 2. n. 46. seqq.* Ratione etiam personæ domini considerandum est, quod bannitum seu proscriptum *2. F. 28. Ordn. des Landfried. rubr. die Pœn der Friedbrecher.* CARPZ. *prax. crim. p. 3. quæst. 140.* GAIL. *lib. 2. de pac. publ.* item excommunicatum. *d. 2. Feud. 28. iunct. c. pon. & vlt. ff.* vasallus adiuuare non teneatur. vid. KOHL. *p. 2. n. 59. seqq.*

§. XXXV. Hanc Operam vero vasallus domino præstare tenetur contra omnes: *per c. est & alia. 2. F. 7.* Excipitur autem I. Imperator, Rex, seu Princeps. *2. F. 7. 55. in fine.* quia regulariter subditi Maiestati resistere nequeunt, sed potius iniuriam illatam tolerare debent. GROT. *in aureo lib. de Iur. Bell. & pac. l. 1. c. 4. n. 1. seqq.* II. Dominus antiquior. *2. F. 28. in fin.* qualis non tantum est is, cui prius iuramentum præstitum est, sed & ille, cuius vasallus iam ante est, qui nunc feudum accipit *c. Imperialis. §. satis bene. de prohib. feud. al. per Loth. 2. F. 52.* Adeo vt neque etiam per substitutum vasallus posteriorem contra priorem dominum adiuuare possit. *per d. 2. F. 28. c. fin. add.* HVNNIVS *c. 13. p. 372. 310.* III. Excipitur patria vasalli. *arg. l. 35. ff. de relig. & sumpt. fun.* BORCH. *c. 7. n. 49.* SCHENCK-BARO.

n. 4. de nou. form. fidel. RITTERSH. *c. 1. quæst. 24.* adeo vt si dominus vasalli sit proditor ipsius patriæ, ipse accusari possit a vasallo. Gloss. *in c. 1. quæ fuit prima causa.* cum alias hoc facere nequeat. *vt sup. docuimus.* IV. denique excipitur ipsa persona vasalli, quia ordinata charitas a seipsa incipit. *arg. l. 6. C. de seruitut.* & in generali persona loquentis excipitur. *l. 29. §. vlt. π. de pign. & hypoth. l. 18. C. de solut. & l. 9. π. de pignor. & hypoth. & l. 9. π. de seruitut.* Gloss. *ad d. c. fin. ibique* BALD. *&* ALVAROTT. BORCH. *c. 7. n. 41.* Vnde etiam recte dicitur: Vasallum non teneri vitam suam postponere vitæ Domini. Gloss. *in §. si clientulas. de alien. feud. 1. F. 13.* SPEC. *de feud. §. quoniam.* FRECC. *de sub feud. lib. 2. autor. 4.* KIRCHOVIVS. *in thes. comm. opin. lit. V.*

§. XXXVI. Non autem hic excipitur pater vel filius. *2. F. 28. in fin. & 2. F. 55. §. insuper.* Diserte enim consuetudinibus feudalibus cauetur, vasallum etiam contra patrem vel filium teneri adiuuare dominum suum. *per dd. text.* quod etsi durum sit, & rationi naturali contrarium videatur, seruandum tamen esse, cum Lex consuetudinis ita scripta sit, dicit ZASIVS. *in epit. sua feud. p. 7. n. 28.* Verum alii hoc ægre concedunt, quapropter *d. text.* cum CVIACIO *lib. 4. feud. c. 31.* corrigunt, ac verba illa: *Et patrem*, ab antiquo Codice abesse, ac proinde delenda monent. Alii autem cum BALDO *in c. 1. de nou. form. fidel.* & HOTTOMANNO, *ad d. c. domino.* variis modis distinguunt. Vid. Dn. LVDWELL. *Synops. feud. c. 14. p. m. 369.* VULTEIVS. *lib. 1. c. 10. n. 43.* HENR. ARNISÆVS. *de iur. Maiest. lib. 1. c. 5. &c.* Verum enim vero cum allegatus Textus. *2. F. 28. fin.* hoc expresse innuat, ab eo quidem haud facile recedendum. IACOB. de BELLOV. *ad d. c. fin. ibique* BALDVS. *n. 1.* Sed tamen non ita crude prout sonat, verum ciuiliter eum accipiendum esse credimus; de auxilio scil. præstando domino, non qui alium offendit, sed qui ipse offenditur, & quidem offenditur iniuste a patre vel filio aut fratre vasalli. Neque hoc enim casu Reuerentia quam filius

lius debet Patri, vel amor quem Pater debet filio, hic obstare potest, quo minus datam fidem seruet vasallus, ac Dominum adiuuet contra quosuis iniuste aggredientes. Vid. VULTEI. *lib. 1. de feud. c. 10. n. 43. fin.* Dn. STRUVE. *Syntag. feud. c. 12. aph. 8.* Modo tamen vasallus in hac ipsa defensione domini contra parentem, quantum fieri potest, amorem ac pietatem debitam obseruet: quod fieri optime poterit, si tale auxilium contra parentem in propria persona haud praestet, quoniam soluendo dimidium redituum vnius anni de feudo filius seruitia contra patrem praestanda luere seque liberare potest. *2. F. 55. §. firmiter. add.* KOHLIVS. *p. 3. n. 5. seqq. & n. 29.* quod tamen singulare.

§. XXXVII. Regulariter enim auxilium domino vasallus in propria persona praestare tenetur. *2. F. 23. in fin. &* 2. F. *55. §. firmiter.* quia ipsius vasalli fides & industria electa esse censetur. *arg. c. in epistola. de form. fidel.* §. *est & alia.* 2. F. 7. atque sic consideranda nobis hic venit Hostenditiarum cum materia, tum forma.

§. XXXVIII. Materia est Actus comitandi, seu actualis Itio cum domino in expeditionem; Procerum enim & Vasallorum Imperii omnis Ordinis officium, & seruitium Imperatori debitum, vel primum hoc erat, vt Regem Romanorum ab Electoribus creatum, & solenni ritu Romae in Augustum consecrandum & coronandum, honoris & Maiestatis ergo illuc comitarentur; de qua profectione multa in ipsis Feudorum libris mentio extat: quam Lotharius Imperator. *lib. 2. Feud. tit. 52. de prohib. feud. alien. per Lothar. felicissimam nostri numinis expeditionem, &* Fridericus *d. lib. 2. feud. tit. 56.* Quae sint Regaliae, *felicissimam regalis numinis expeditionem* vocant, imitatione Theodosii & Valentiniani Impp. *in l. iubemus. 10. l. Neminem. 2. C. de SS. Eccles.* Vt autem Caesarem Principes & Proceres, pro nexu suo, quo Imperio tenentur, comitari debebant, maiori aut minori numero & apparatu, pro principatuum & feudorum suorum ratione; ita ipsi rursus clientes & beneficiarios suos in

pro-

profectionem hanc comites & asseclas trahebant, simili proportione beneficiorum facultatumque habita: Atque hæc actualis Itio cum domino tam necessaria erat, vt quis, ea neglecta, feudum amitteret. Id quod nobis clare ostendit *Constitut. Imp. Karoli III. dicti Crassi. de Exp. Rom. his verbis: Cuicunque autem secundum hanc Legem eadem Expeditio imperetur, si ad Curiam Gallorum, hoc est, in campum qui vulgo Rungallè dicitur, Dominum suum non comitetur, & ibi cum militari apparatu non repræsentetur, feudo (præter hos, qui cum gratia Dominorum remanserint) in conspectu nostro absque spe recuperationis priuetur.*

§. XXXIX. Forma huius actualis Itionis in Expeditionem cum Domino, *in d. Constit. Karolina.* exprimitur per verba: *Halsbergas ducere:* Quæ Vox diu multumque exercuit Clariss. Virum Dn. MARQV. FREHERVM. vtpote quam nec legisse, vel audiuisse, nec doctissimis amicorum consultis discere potuisse scribit in suo erudito commentario ad hanc *Constit. Karoli 3. dicti Crassi de Exp. Rom.* Donec tandem deprehenderit, *Halspergam,* priscè & propriè esse thoracem vel loricam, siue ex laminis compactam, siue ex annulis orbiculisque contextam, quam Franco-Galli adhuc *Haubert-Hauberge-* & *Haubergeon* appellant: Vnde Vetus prouerbium illorum: *De maille à maille on fait le hubergeon.* Est autem Vox vetus Francica Germanici, vsu quidem desita, sed quæ in libro veterum cantionum, Heldenbuch inscripto, frequenter legitur. *part. 1. 2. & 3.* Et ne ἔτυμον etiam nesciamus, sic dicta, quasi munimentum Colli, quæ collum tegat (id enim est *bergen.* qua forma Saxones dicunt, *se sind geborgen.* seruati sunt e periculo. Eadem compositione, qua galeam idem æuum Haubtach dixit; quod tecti instar sit vertici. Halspergas igitur tot ducere, tot est cataphractos & loricatos ducere, in quibus splendor & robur totius agminis præcipuum. LIVIVS. *lib. XXXVII. His tria millia peditum loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adiunxit.* Historia Miscella. *lib. XXXI. Vsque ad viginti scaphas remanserunt,*

rum, habentes centenos loricatos ad has custodiendas. Et lib. 20. Misit tria millia loricatorum ad circumdandum eum ne fugeret. Hinc Feudum Loricæ, apud SIGEBERTUM GEMBLACENSEM. *An. 1560. de Expeditione Henrici Regis Anglorum.* Quod militi assignatur ea lege, vt ad Edictum præsto sit in armis loricatus siue cataphractus. Quod Feudum Haubericum *Fief de haubert*, Franci & Normanni etiamnum vocant, vt legimus Consuetud. Normand. c. 85. *Celuy qui tient fief de haubert, doit deseruir son fief par pleines armes, par le cheual, par haubert, par l'escu, par l'espée, par le heaulme.*

§. XL. Atque sic etiam in Expeditione Romana hanc Operam in armis loricati siue cataphracti Vasalli quiuis præstare debebant, nonnunquam tamen pecunia Eandem redimere ipsis permittebatur sed ita: vt ii vasalli, qui cum gratia & bona voluntate Dominorum suorum domi remanserunt, ad legendos alendosque Eorum loco alios milites promissa stipendia rite exsoluant. Vid. Frid. a SANDE. *comm. in Consuet. Geldr. feud. tract. 2. tit. 1. §. 2. n. 13.* atque hoc casu nomine Hostenditiarum venit pecuniæ pro Opera præstatio.

§. XLI. Et huc pertinet, quod ait Feudista *Hostenditias* esse adiutorium, quod vasalli domino præstant, si cum eis non vadunt, in Lombardia nempe de modio 12. denarios. In Teutonica Terra tertiam partem fructuum, facta computatione fructuum solummodo eius anni, quo hostem faciunt: Id quod Saxonibus *Heersteur, Reisegelt* dicitur. *Lehn-R. c. 46.* SCHNEIDEW. *p. 5. de feud. n. 96.* prout ergo fructus in eo anno deprehenduntur ita etiam restituendi erunt, nec meliores, nec deteriores, non plures, neque tamen pauciores; Sed dicta pars Tertia: Hinc Ea feudo vel aucto vel imminuto, augeri aut imminui nullo modo potest nimirum quia definita atque determinata est Quantitas; nisi, vel summa aliqua emergens necessitas aliud suadeat, aut etiam Feudistarum distinctiones inter augmentum & decrementum quod fit naturaliter, vel facto domini, vel vasalli,

aliquando aliud velint. Vid. KOHL. *tract. de feud. p. 4. n. 177.* Magnif. Dn. D. STRUVE. *S. F. c. XI. th. V. com.*

§. XLII. Vt autem olim in Teutonica Terra tertia pars fructuum fuit determinata; Sic ex Constitutione Friderici Imp. dimidia saltem fructuum ac reditus illius anni, quo indicta est Expeditio, persoluenda constituta est: Vt ex communi Feudistarum consensu & dicta *Constit. Imp. Friderici de probib. feud. alien. 2. F. 55. c. firmiter* colligi licet: Mire etenim in hoc variatum fuit, namque *in Imp. Karoli III. dicti Crassi Constit. de Exped. Rom. th. 6.* Totus fructus illius anni exposcitur: Et vetus quidam Auctor de Beneficiis *c. 13.* ita scribunt; *Ibunt illuc & alii, omnes Imperialia beneficia habentes, quisque cum domino suo, nisi talento decimo iter redimat, quod annuatim a Domino suo habuerat.* Cum quo maxime conuenit Ius Feudale Saxonicum eundem in modum hanc ipsam quantitatem ita determinans: *Der Mann ist mit dem Herren zu ziehen schuldig, oder muß die Farth læsen, mit dem zehenden Pfund des Zinßes, den er iahrlichen von ihm hat. Sæchsisch. LehnR. c. 4. conf.* SCHNEIDEWIN. *part. 5. de feud. n. 114.*

§. XLIII. Et hanc quoque in rem superiori æuo vires totius Imperii æstimatæ, & certa quantitas cuilibet Statui assignata fuit. Recessus Imperii *de An. 1521. §. auch haben uns Chur-Fürsten.* & *Reichs-Abschied zu Nürmberg. Ann. 1522. pr.* ita, vt Comitatu illo Romano ad 20000. peditum & 4000. equitum ad 6. Menses constituto vnicuique statuum Imperii iuxta conditionem bonorum suorum certus numerus peditum, & equitum, quem mittere, aut pro vnoquoque equite 12. florenos & pro singulo pedite 4. flor. soluere teneretur, definitus fuerit. Vid. LIMNÆI *Ius Publ. lib. 2. c. 4. & lib. 4. c. 7. iunct. add. d.* vbi insimul schema quoddam istiusmodi vnicuique Statuum Ordini assignatæ quantitatis exhibet.

§. XLIV. Adeo, vt nec Ecclesiarum filii, siue Ecclesiæ ab hoc Expeditionis onere immunes fuerint, ex quo enim tem-

tempore Ecclesiæ bonis, latifundiis, prædiis, reditibus auctæ fuerant; ex eodem etiam beneficiarios suos sibi libellis precariis, feudis acquisiuerunt; & milites, fideles, ministeriales, advocatos suos habuerunt: Vnde pro hac ipsa regia Expeditione peragenda certum numerum militum, id est, nobilium vasallorum sibi assignatum sustentare necesse habebant; vt præter historias *ex* §. *V. dicta Constit. Karolina de Exp. Rom. & aliis Impp. Constitutionibus notum est: 2. F. 52. & 2. F. 55.* §. *firmiter. iunct. l. 2. C. de quib. muner. & l. 10. 11. C. de SS. Eccles.* quas egregie, vt omnia, explicat Magnificus Dn. D. STRAVCH. *Antecessor in hac Inclyta Salana primarius, Doctor & Patronus meus æterno mentis cultu pie prosequendus in MSS. commentario ad has Cod. LL.*

§. XLV. Quinimo nec Regiæ domus, Expeditionis tempore ab Angariis & Parangariis excusantur. *l. 21. C. de cursu publico.* Causa enim hæc summe est necessaria, ideoque Nemo ab ea excusatur. *l. vn. C. vt nemini. lic. in empt.*

§. XLVI. Finis etiam Hostenditiarum hoc requirit, isque duplex. Vnus, splendor & Maiestas tanti Exercitus, vtpote qui 20000. peditum, & 4000. equitum constabat, quorumque non minima pars Loricatorum erat, in quibus singularis splendor & Maiestas deprehendebatur: Haud sane immerito; Imperatoriam enim Maiestatem in tam arduo Imperii negocio pro sumenda scil. & obtinenda Corona Romana omnino armis armatam atque decoratam esse decet, ac proin omnium & singulorum qui feuda Imperii tenent, primum officium esse debet, vt Imperatorem Romam ad petendam Coronam profecturum cum istiusmodi splendido militari apparatu comitentur; quemadmodum alias etiam vasalli tenentur de seruitio præstando in honorem domini splendidioris apparatus causa *in Ehrenfallen.* vt testatur KOHL. *de seru. feud. p. 4. n. 99.* alter, periculorum & insidiarum in quas isto in Itinere Impp. incidere possunt, auersio. Variis etenim grauissimisque peri-

 culis

culis & insidiis plurimos Impp. tum temporis obnoxios fuisse; exempla Lotharii III. & Friderici I. nobis clare ostendunt; quapropter ab hoc auxilio Imperatori Expeditionis tempore præstando Nemo immunis erit, quia de Salute Principis agitur: *Omnis igitur Vasallus, qui indicta publica Expeditione vocatus a Domino suo, in eadem Expeditione spacio competenti temere venire supersederit; vel alium pro se Domino acceptabilem mittere contemserit, vel dimidium reditus feudi vnius anni domino non subministrauerit, feudum quod ab Episcopo vel alio Domino habuit, amittat; & dominus feudi in vsus suos illud redigendi modis omnibus habeat facultatem. dicta Constit. Friderici de probibit. feud. alien.* expresse cauetur. *2. F. 55. §. firmiter.*

§. XLVII. Feudum E amittit, quomodo autem id fiat, non satis liquet. *Iudicio Curiæ priuatur*, vt Güntherus innuit: *condemnatur*: ait Otto Frisingensis; quæ verborum discrepantia congruam nobis excutiendæ illius vexatissimæ inter Feudistas Controuersiæ occasionem & ansam præbet. Quando nimirum in Vasallum fertur Sententia Condemnatoria. *Wenn Er des Lehns verlustig erkant wird. 1. F. 21. & 22. §. 2.* An scil. hæc Condemnatoria Sententia, sit priuatoria, an saltem declaratoria, (differunt enim inuicem, quod illa ex nunc operetur in futurum, hæc autem in præteritum. Illa deiiciat, hæc cecidisse declarat Vasallum) siue, an feudo demum per Sententiam priuetur an vero ipso iure propter feloniam id amittat Vasallus, & solum insequatur Sententia, qua declaretur ipsum quippe a Domino conuictum culpæ, feudo priuatum esse, vel etiam vt clarius dicam, an dominium vtile ipso iure ad Dominum ob commissam feloniam reuertatur, an vero per sententiam Vasallo adimatur demum vtile Dominium. Quod postremum his innixi rationibus libere asserimus. I. Quod nullibi in iure feudali dicatur, ipso iure dominium vtile ob feloniam ad dominum reuerti. II. Quod concedatur domino. *1. F. 21.* condictio causa data, causa non secuta; qua actione per-

sonali

ſonali quis petit ſibi reſtitui rem cuius dominium eſt apud alterum. *d. t. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecuta. add. l. vlt. ff. vſufr. quemadmodum caueat.* III. Quod conueniat hæc feudi ex ingratitudine repetitio cum reuocatione donationis. *2. F. 24.* §. *2.* quæ ob ingratitudinem commiſſam non ipſo iure fit, ſed per actionem & ſententiam *l. fin. C. de reuoc. donat.* IV. Quod nec perduellium bona ipſo iure publicentur, ſed vsque dum damnati fuerint, dominia rerum ſuarum retineant. *l. 15. qui & a quibus. man. lib. non fiant.* Conf. ANTON. MATTHÆI *d. tract. l. 48. tit. 2. c. 3.* Neque etiam V. ex aliis delictis quis ante patiatur pœnam, quam per ſententiam condemnatus fuerit. MARTIN. BONACIN. *tract. moral. de Contract. diſp. 3. quæſt. 8.* Priuatoria igitur hæc eſt Sententia, non autem declaratoria ſaltem, ſiue quod idem eſt, dominio vtili per Sententiam demum, & non ante, priuatur Vaſallus. Vid. *Ampliſſ.* Dn. D. STRUVE. *S. F. cap. 15. de amiſſ. feud. th. XI. comm.* ROSENTHAL. *c. 10. concluſ. 41.* CLARVS. *in* §. *feudum. quæſt. 62.* RITTERSHVS. *part. feud. lib. 2. c. 6. quæſt. 15.*

§. XLVIII. Atque hæc Feudi priuatio pœna eſt Vaſalli, quando ſcil. hanc militarem Operam Domino nec ipſe, nec per ſubſtitutum præſtare vult, aut etiam dimidio reditus annui Eandem redimere detractat; E contra vero præſtitæ huius operæ tantus eſt fauor, vt etiam feudum aliquibus ea propter adimi nequeat; Conſtat enim, omne id quod Vaſalli de ſuis feudis in Valuaſinos (quos vocant) gratuito conferunt, feudi ius ac vim non habere, ſed precarii ſimplicis inſtar eſſe & absque illorum culpa a dante ad lubitum reuocari poſſe. *2. F. 16. de F. dat. minim. valuaſ.* Niſi (*quæ exceptio hunc ad locum pertinet.*) hi Valuaſini ſuos illos ſeniores in hac Expeditione & exercitu Romano comitati ſint. *1. Feud. tit. 1. fin. & tit. 7. de natura feud.*

§. XLIX. Origo autem huius Expeditionis Romanæ (*Römerzugs*) inde a Carolo M. deducitur: cum enim Carolus M.

 Rex

Rex Francorum & Longobardorum, eligeretur ac constitueretur Imperator Romanus, atque a Pontifice ipsis feriis natalitiis An. Iↄ.CCC. preciosissima corona coronaretur. qua de re Vid. HENN. ARNISAEVS. *de translatione Imperii.* & Dn. CONRINGIVS. *de Germ. Imp. Rom.* §. 7. *& seqq.* Ritus quoque ille solennis Coronationis in seqq. Romanis Impp. est obseruatus, indeque factum, vt Vasalli Regni horumque subuasalli creatum a Germanis Regem, atque ita simul ab ipsis electum Regem & Imperatorem Romanum tenerentur ad suscipiendam Imperii Romani Coronam, & solennem Consecrationem Romam comitari; qua de re extat Vetus Constitutio Imp. Caroli III. dicti Crassi, quam edidit & commentario illustrauit Marq. FREHERVS, eamque exhibet GOLDAST. *Constit. Imper. vol.* 1. *p.* 28. LEHMANN. *Chron. Spir. Lib.* 2. *c.* 42. *in fin.*

§. L. Quæ Constitutio, An sit genuina? magna adhuc inter magni nominis Viros dubitatio est. Clarissimus equidem ICtus FREHERVS. *in comm. suo ad d. Constit.* Eam pro genuina habet, atque dictum Imp. Karolum III. Eius verum Auctorem esse contendit, eo quod Nomen Luitvvardi, dicti Regis Cancellarii, Constitutioni huic Carolinæ sit subscriptum; Cum illud nec in Magni nec Calui actis reperiatur, sed in huius Karoli III. diplomatis exprimatur; ac proin quia hoc Luitvvardi Nomen in hac de qua loquimur, Constitutione reperitur, non sine ratione existimat FREHERVS, hunc Eum ipsum esse Luitvvardum qui sub Karolo Crasso vixerat. Verum enim vero hæc Assertio non admodum firmo stat talo; quia facile fit, vt plures diuerso tempore ac loco idem Nomen habeant; nihil enim certi hic demonstrari potest. Vid. ὁ πάνυ Magnif. Dn. IOH. HENR. BÖCLERVS. *Argentor. Acad. Historiar. Prof. inclytus, Doctor olim meus exoptatissimus summaque Animi reuerentia submisse & obseruanter ætatem colendus ac suspiciendus in Notitia S. R. Imp. MSS. cap.* 2. *de Exped. Rom.* Ceterum & Chronologia discrepat, quod ipse etiam FREHERVS fatetur, asserens, quod hoc ipso anno DCCXXC. Imp. Carolus M. conuentum Ordinum celebrauerit Wormatiæ non vero Crassus; cum

cum tamen Karolo M. hæc Conſtitutio nullo modo adſcribi posſit. Lapſum E. eſſe inquit, Scriptorum in numeris eumque non inſolitum; & reſcribendum neceſſario *DCCC. XXCI. vel ſeq. ann.* Quod vt leuius, non tamen omnem adimit ſcrupulum, præſertim cum plura in ipſa etiam Conſtitutione occurrant, quæ Ampliſſimis Viris BÖCLERO & CONRINGIO dictæ Conſtitutionis Auctorem ſuſpectum reddant; Cuiusmodi eſt illud ſtatim ab initio: *Rex Romanorum,* quo titulo certe nemo tum temporis audiit, niſi iam Imperator coronatus V. iterum Dn. CONRINGIVS *in tr. de Orig. Iur. Germ. c. 17.* Principum quoque Secularium & Eccleſiaſticorum voces illis temporibus fuere inuſitatæ. Neque etiam reperire licet vel leue indicium Conuentus iam tum inſtituti in Italia ad Curiam Gallorum, ſiue Rungallium, cuius hic vt rei vſitatæ ſit mentio. Ac denique nec ſtilus conformis eſt illi æuo, nec feudi Vox eius eſt temporis, vnde WELSERVS ipſe fatetur in Epiſtola MSS. ad FREHERVM. *Quoniam aliquando ſubdubitare viſus es, an feudorum nomen in vetuſtis tabulis ante Fridericos extaret, duo nunc apographa mitto quæ illum ſcrupulum hactenus eximant. Carolinam tamen antiquitatem Conſtitutionis a Te editæ non attingunt.*

§. LI. Quid ergo hac de re ſit ſtatuendum, nondum ſatis liquet, niſi, quod cum Magnif. Dn. D. CONRINGIO aſſerere velimus, hanc Conſtitutionem fictam eſſe, idque forte Seculo XII. in regulam Expeditionum Romanarum quæ tum temporis illis pene Legibus fuere inſtitutæ, ceu patet ex hiſtoria Friderici primi Cæſaris, tum ap. Otton. FRISINGENSEM. cum in GVNTHERI Ligurino. Ita enim Otto *Lib. 2. c. 12. Inde caſtra mouens* (ſcil. Fridericus I. Imp.) *in campo Roncaliæ ſuper Padum, non longe a Placentia, menſe Nouembri reſedit. Eſt enim Conſuetudinis Regum Francorum quæ & Teutonicorum, vt quotiescunque ad ſumendam Romani Imperii Coronam, militem ad tranſalpizandum coëgerint, in prædicto campo manſionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto ſcutum ſuſpenditur, vniuerſorumque equitum agmen feuda habentium*

tium ad excubias proxima nocte principi faciendas, per Curiæ præconem exposcitur: quod sectantes, qui in eius comitatu fuerant, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. Ac sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprehensus fuerat denuo ad præsentiam Regis, aliorumque principum vel Virorum Illustrium euocatur, sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona Voluntate Dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur: Hunc morem Principe secuto, non solum Laicorum feuda, sed & quorundam Episcoporum, i.e. Hartwici Bremensis, & Vlrici Halberstatensis regalia personis tantum, quia nec personis, sed Ecclesiis perpetualiter a Principibus tradita sunt, adiudicata fuere.

§. LII. Licet autem hæc Expeditio Romana diu multumque durauerit, atque etiam hodie Electi Impp. soleant in Capitulatione Electoribus promittere se operam daturos, quo Corona quoque Imperatoria coronentur: Aliquot tamen nouissimi Imperatores illam Coronationem, vtpote Imperio grauem ac superfluam omiserunt. Vnde non immerito quæritur, an iure hoc facere potuerint; siue, quod idem est, An Imperator teneatur Romam petendæ Coronæ causa Expeditionem facere? Quod cum Iuris Publici Scriptores diuersimode inter se disputarint, ansam id nobis dedit Eorum hac de re Opiniones pro virili paululum referre atque excutere.

§. LIII. Celebris equidem Arnisæus (*de subiectione & exemtione Clericorum cap. 7. vbi de translatione Imperii Romani agit n. 29. p. 190.*) sunt, ait, qui negant Imperatorem vllo modo ad petendam Coronam cogi posse; quia id nulla Lege statutum, vel consuetudine inductum fuit. I. Legem quod attinet, planum est, Imperatoriam non dari, sed potius contrarium decretum esse a Ludouico Bauaro; & si aliqua esset, non valeret, cum ne iuramentum quidem valeat, quod dignitatem Imperatoris diminuit. (*c. intellecto de iureiur.*) Si vero Lex pontificia producatur, eam constat non obligare, nisi quatenus approbatur, cum iurisdictiones sint distinctæ. Sed nec vlla produci

duci poteſt, quia *Clementina Romani, de iureiur. c. venerabilem de electione can. in Nomine Domini. diſtinct. 23.* Imperatorem non adſtringunt ad petendam Coronam, ſed Pontificis ius eſſe contendunt, vngere, conſecrare, nominare, approbare Imperatorem electum, ſi eo petitum veniat. II. Quod ad Conſuetudinem attinet, *licet d. Clementina Romani*, producat exemplum Alberti & Henrici qui Conſecrationem a Papa petierint, tamen quod per fauorem, aut ex certa cauſa fecerunt aliis non debet creare præiudicium *c. quod ob gratiam. de R. I. in 6. cum concord.* In Actibus enim Voluntariis, & meræ facultatis, nulla præſcriptio vel conſuetudo induci poteſt. *per l. viam. ff. de via publ.* III. Præterea cum ſatis clarum ſit, Actum creandi Imperatoris abſolui in ſola Electione, patet ſuperuenientem Coronationem, nihil aliud eſſe quam ſolennitatem. Atqui Imperator ab iis, quæ ſolennitatis ſunt, Legibus abſoluitur (*vt Dd. interpretantur. L. Princeps. ff. de LL. l. digna Vox. C. eod. l. ex imperfecta. 3. C. de Teſtam.*) Adeoque cum duplex ſit Solennitas; Leuis, quæ ſubſtantiam non immutat. *l. 1. ff. de Exerc. act.* Et grauis, conſtat illam a quouis, hanc vero a ſolo principe omitti poſſe, vrgente euidenti neceſſitate. *l. etſi nihil. 183. ff. de R. I. l. 85. fin. l. 90. de in integr. reſtitut.* Vnde etiam in hac ipſa Solennitate multa immutata reperire licet. Huc vsque Arniſæus.

§. LIV. Iam vero ad Eiusdem argumenta reſpondebimus, I. enim contra Eum faciunt omnes Capitulationum Articuli Illi, quibus Electus in Imperatorem ſe obligat ad Coronam Imperialem petendam & requirendam. Cogi E. qui hoc promiſit, poteſt, ſi ſponte promiſſa adimplere nolit. Lex enim Contractus ſeruari debet, & quod prius ante promiſſionem voluntarium erat, poſt eam neceſſarium factum eſt. Cogi inquam poteſt, ſed non a Pontifice, vt nonnullis viſum, verum ab Electoribus, quibus promiſſio facta & Actio competit, ipſaque Executio ab Imperio fieri poteſt, non vero ab alio.

§. LV. Et hi dicti Capitulationum Articuli contrariantur quoque Arumaei Sententiæ. *discurs. 2. ad A. B. th. 20. p. 109.* asserentis; Hanc Pontificiam Coronationem plane non esse necessariam, quia nullibi Eadem præcipiatur, neque etiam verbulo quidem in A. B. eius fiat mentio. Verum enim vero, quam facile is refutari posset, nisi Ipse paulo post (*th. 21. p. 224.*) sui immemor aliud innuere videretur. Clarum namque ac certum est, in A. B. non solum ex verborum consequentia, sed etiam expresse Coronæ Imperialis fieri mentionem. (*in exord. circ. fin. c. 2. §. 5. imprimis autem c. 26.* §. *4.* qui Textus probe notandus. Aliumque dici *Regem Romanorum*, alium *Imperatorem*. (*d. c. 2.* §. *7*) quod & phrasis, *Rex Romanorum in Imperatorem promouendus*, notat. (*c. 1. pr. c. 18. pr.*) vel *in Cæsarem promouendus* (*d. c. 1. c. 18. 19. 21. c. 2. pr.* §. *2. 3. c. 7.* §. *1. c. 20. pr.* vel *Rex Romanorum, futurus Imperator. c. 28.* §. *5.* Et licet etiam in Aur. Bulla mentio nulla fiat, cuius sit hanc Coronam Regi imponere, aliunde tamen satis notum est, hoc Pontificii esse muneris. Non enim ad propositum Caroli IV. faciebat, hoc ibi exprimere, non magis, quam quis Coronam Mediolanensem (*cuius meminit d. c. 26.* §. *4.*) Romanorum Regi conferre debeat; Bulla namque potissimum de Electorum Iure, Officio, ac priuilegiis agit, non de aliorum. Atque hæc contra Arumæum sufficiant: quapropter reuertamur ad reliqua Arnisæi argumenta.

§. LVI. Ludouici Bauari Decretum quod attinet, illud certe nos non ferit, non enim decernit, Imperatorem, si Electoribus promiserit Coronam Imperialem a Pontifice requirere, non teneri promissis stare; Sed hoc decidit, falsum esse, quod dicitur, Imperialem Dignitatem & Potestatem a Papa esse, Electumque Imperatorem non esse verum Imperatorem nec Regem, nisi prius per Papam, siue Sedem Apostolicam, confirmetur, approbetur, & coronetur: Statuit autem quod is, qui eligitur in Imperatorem siue Regem, ab Electoribus.

bus Imperii concorditer vel maiori parte Eorundem, ſtatim ex ſola Electione ſit Rex verus, & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus, Eidemque ab omnibus Imperii ſubiectis obediri debeat; ac adminiſtrandi iura Imperii, & cætera faciendi, quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habeat poteſtatem, nec Papæ, ſiue Sedis Apoſtolicæ, vel alicuius alterius approbatione, confirmatione, authoritate indigeat, vel conſenſu (*vt ipſa Decreti verba ſonant.* ap. GOLDAST. *inter Conſtit. Imp. p. 99.*) Et vt breuibus dicam, quod res eſt; Conſtitutio Ludouici reiicit effectum, quem alii Coronationi, quæ a Pontifice fit, attribuunt, Coronationem autem ipſam fieri non prohibet. Poſito etiam, non tamen conceſſo, Coronam illam prohibitam fuiſſe a Ludouico, vel vllo veterum Impp. alio, eius ſane prohibitionis vis hodie ceſſaret, poſtquam Imp. iurat, ſe omni diligentia Eam expetiturum. Abrogare enim LL. & nouas ferre; prohibere, quod antea conceſſum; concedere, quod antea prohibitum; nouum inauditum in Imperio non eſt, nec ab ipſa iuſtitia alienum.

§. LVII. Verum aliud hic diuerticulum quærit ARNISÆVS & putat, Coronam illam diminuere Dignitatem Imp. Sed certe iniurius eſt in ipſos SERENISS. Electores, quaſi illi immemores officii & iuramenti ſui contra dignitatem Imperatoris & Imperii agant, & quidem ex proæreſi ac præmeditatione. Cum tamen Corona illa, dignitatem Imp. non magis diminuat, quam corona Regalis, vtraque Dignitatis adeptæ publicum teſtimonium, dignitatem honore ac reuerentia coronans. Et, niſi Caroli V. Teſtimonium, ac publicas Imperii Tabulas reiicere volumus, credendum eſt, Coronam illam pro fine agnoſcere Laudem diuinam, Imperii honorem & emolumentum, ita enim diſerte exprimitur: *GOtt zu færderſt zu Lob. Dem H. Reich zu Ehr und Wohlfarth. R. A. zu Wormbs.* An. 1521. §. *und als wir.* Denique ne putemus, Electores Eccleſiaſticos Pontifici hac in parte nimium fauere, perpendi debet, Electores Secula-

culares, qui Pontificiæ Religioni haud addicti sunt, iam olim tempore Maximiliani II. Capitulationis articulo primo, & continuato hucusque more, expresse declarasse, se in negociis, quæ Pontificiam Authoritatem, Dignitatem & emolumentum tantum spectant, a cæteris Electoribus dissentire, nec velle Imp. ad ea obligare. Quod cum non in genere, sed specialiter & nominatim factum sit, nec tamen ad Coronationem Imperatoriam ab illis repetitum vel extensum, coniectu facillimum est, quid de ea senserint, sentiantque.

§. LVIII. Ius Canonicum quod attinet, nolumus hic illud examinare, An scil. Imperatorem adstringat ad petendam Coronam, nec ne? Satis enim notum est, illud omnem aquam in molendinum Papæ deriuare, & totum fere in eo occupatum esse, quo mundo persuadeat, a Papa Reges & Principes descendere.

§. LIX. Ceterum quod concernit Arnisæi argumentum de actibus meræ facultatis, incongruum hic esse videtur. Licet enim hæc Coronatio aliquando meræ facultatis fuerit, quod equidem ipsi concedimus, atque etiam ipsius Caroli M. exemplo clare demonstramus. Cum enim Carolo M. non petenti, sed a Pontifice sponte Corona Imperialis imposita fuit, tamen Carolus eam suscipiendo minime Successores obligare nec potuit, nec voluit, eam in posterum vt illi peterent vel susciperent a Pontifice. Sed Filium Ludouicum Successorem in Imperio sibi assumens ac declarans, non Romam Coronandum misit; verum Author ipsi fuit, vt publica Solennitate Aquisgrani Coronam altari impositam propriis eleuaret manibus, sibique ipsimet imponeret. Quod factum exponit FAVCHET. *en la fleur de la maison de Charlemagne, qui est de la continuation des antiquités francoises, au second volume livr. 2. chap. 16. fol. 167. b.*) vbi addit: *Icy faut noter, que Charlemagne declarant son fils Empereur n'attend point le Consentiment du Pape, & des Romains, ne qu' autre que son fils touche a la Couronne Imperiale, pour*

pour la mettre sur son chef, non pas memes des Eueques; chose que ie n' estime auoir eté faite par le vieil Empereur sans mystere, & pour montrer, qui ne tenoit L' Empire que de Dieu seul, puis qui l' enuoye son fils la prendre sur L' autel, comme de la main de Dieu. Idem FAVCHET. (*d. vol. 2. liur. 3. chap. 2. p. 186.*) refert; Quod Papa Stephanus fecerit Romanos iurare fidelitatem Imperatori Ludouico absenti, & nondum ab vllo Papa coronato. *Signum mehercule.* Ipsum quoque Papam Romanosque fassos esse, Imperatori etiam citra Coronationem Romanam dominium Vrbis & Imperii competere. Verum enim vero licet hæc Coronatio aliquando meræ facultatis fuerit, certum tamen est, Capitulationes hanc meram facultatem non admittere; vnde nec ab exemplis Eorum, qui Coronam hanc vel suscepe-runt, vel neglexerunt, argumentandum erit; Sed a Constitutione Imperii.

§. LX. Coronationem Solennitatem esse, equidem non infitemur; Sed ius Ciuile Imperatorem ab hac Solennitate absoluere posse, expresse negamus; nisi dicere velimus, LL. atque Constituta, vbi a iure illo antiquo diuertunt, nullius esse momenti, vel Statum Imperii nostri ab antiqua Romanorum forma informari, aut (*quod tamen longe a nobis absit,*) Germanos esse mancipia alienæ libidinis. Et posito etiam, Legem Imperii solennibus iuris Imperatorem Romanum olim soluisse, (*l. 3. C. de Testam.*) exinde tamen nihil euinci potest. Constat enim ex Capitulationibus Imperatorem nostrum Solennitati Coronationis Imperatoriæ a Lege Imperii esse alligatum. Ergo quæ olim potestas Romanis fuit, suum Imperatorem Legibus solvere, Eadem etiam hodie Germanis est, Imperatorem suum ligare vel soluere. Quod enim hodie Imperator noster nonnullis LL. solutus, nonnullis ligatus est, non a Romanorum illo iure deriuatur, sed a Iure Germanorum, qui Imperatorem sibi eligunt, & Ei potestatem talem concedunt, qualem volunt. Itaque si Imperator noster, solutum se hac vel illa Lege asseue-

rat, frustra ad ius antiquum Romanum prouocabit contra Germanos, nisi in illis capitibus, in quibus illud approbarunt, & ita suum effecerunt. Diximus autem *limitate* Imperatorem ab hac solennitate *de Iure Ciuili* absolui non posse; potest tamen ab Electoribus ab Eadem absolui, vtpote quorum solum est, ab iis quæ in Capitulatione Ipsis promisit, Eundem absoluere ac liberare.

§. LXI. Denique multa quoque in hac solennitate esse immutata docet vrgetque Arnisæus, sed nostra inde non conuellitur Sententia; non enim sequitur: Aliqua in hac vel illa solennitate sunt immutata. E. & ipsa Solennitas mutari, totaque negligi potest. Quandoquidem etiam *(quod notari velim)* postquam in Capitulationem electi Imperatoris semel relatum, coronam Imperatoriam expetendam & suscipiendam, nihil in hoc a Caroli V. ætate vsque ad hanc nostram, mutatum reperire liceat. Quod enim de materia trium Coronarum adducitur, figmentum certe est, quælibet enim Coronarum harum statim ab initio aurea fuit, & aurea etiam permansit, neque insuper vel in Ordine vel materia quicquam immutatum fuit.

§. LXII. Examinatis itaque cum Arnisæi, tum Arumæi Sententiis, quæ nostra hac de re sit Opinio, necesse est, vt innuamus. Concludimus Ergo ex relatis atque decernimus cum Limnæo *Iur. Publ. 2. 4. 107.* Imperatorem hanc Coronationem Imperialem vi Capitulationis ab Electoribus ipsi præscriptæ omittere nullo modo posse; Sed potius omnem debere adhibere diligentiam, vt Coronam Imperialem consequatur: *Zum besten befleissigen, die Kayserliche Cron zu empfangen. (per Artic. XXX. Capit. Caroli V.)* Nisi, vt supra monuimus, Electorum Consensu ac Voluntate id fiat: In Eorum enim & non Pontificis potestate situm est: An velint Imperatorem ab hoc requisitionis Coronæ Imperialis onere absoluere, & quod sibi promissum remittere. *arg. l. si vnus. 27. §. pactum. 2. ff. de Pactis.*

§. LXIII. Quid autem dicemus de illis, qui in Capitulatio-

lationem quidem iurarunt, Coronam tamen Imperialem consecuti non sunt ? Sane, si Eam studiose ambiuerunt, & per illos non stetit quominus Eandem assecuti fuerint, iure excusatos Eos habemus. Varia namque hic nonnunquam se se offerunt Obstacula & impedimenta tum ex parte Pontificum, cum Impp. atque aliquando vel vera sunt, vel ficta.

§. LXIV. Ex parte Pontificum deprehendere licet, quod, quamuis olim ii cum erat res angusta domi, Impp. ad suscipiendam Coronam vel Ipsi inuitarint, vel venientes amicabiliter susceperint, postmodum vero aucta illorum potentia, præsentiam Impp. cane peius & angue auersati sunt, quoniam Syrma viginti quatuor millium militum (hoc enim numero Imperatoris Exercitus constare debet) oderunt, & cum illis cæteri omnes qui malæ fidei possessores rerum Imperii in Italia sunt.

§. LXV. Ex parte vero Impp. tam generales, quam speciales eæque vel probæ, vel reprobæ perquam multæ, Rationes allegari possent, quod hanc Coronationem vel insuper habuerint, vel plane ad Eandem non peruenerint, aut vt mitius loquar, peruenire haud potuerint, exclusi nonnunquam vel ipsa Temporum iniuria, vel bellicis ac aliis negociis impediti; siue denique variis incommodis & periculis in isto Itinere forsan sustinendis deterriti. Id quod nobis ostendunt quam plurima plurimorum Impp. Exempla. Nimirum: Ludouici IV. & Conradi I. (*de quibus vid. Lud. Molina. de iust. & iur. disp. 24. vers. cæterum.*) Henrici I. cogn. Aucupis. (*v. Abb. Vrsperg. & Cuspin. in Eius Vita.*) Conradi Sueui Cæsaris. (*v. Beuttherus in addit. hist. Limn. c. 13. n. 20.*) imprimis autem Rudolphi ac Maximiliani exempla hic omnem rem facere videntur. Nam Rudolphus I. cum Principes Germaniæ Eum in Cæsarem elegerunt, Eundem insimul obligarunt, vt intra annum in Italiam diadematis causa se profecturum profiteretur, totis quibus imperauit annis, semper nouas Occupationes publice causatus, nunquam Italiam ingredi voluit, ab Amicis interim rogatus, quamobrem ab Italia deter-

deterreretur, non dissimulanter respondit, quod Cæsarum in Italiam vestigia læta, magnifica, plenaque Bonæ fidei videret, ex Italia vero referentia & foras versa, tristia, misera, luctuosa. V. Matenes. (*tom.3. hist. Eccles. lib.13. n.200.*) Conf. CVSPINIAN. *in vita Rudolphi. p.303. seqq.* Maximil. I. quod attinet, Maiestatem Imperii Ipsis Ordinibus inesse, ideoque hac Corona Imperatorem haud indigere, dicere solitum fuisse tradit equidem BODINVS *de Republica. lib.1. c.9. p.191.* Verum enim vero si Ipsi Maximiliano fidem non denegamus, res clara est, Eum a Rege Galliæ fuisse impeditum, quo minus hanc Coronam acciperet, ita enim legimus: *In seiner Verantwortung uff die Klag des Königs in Franckr. An.1507. ap.* GOLDAST. *in Politischen Reichshändlen. p.276. Er seye von dem König in Franckreich verhindert worden, damit Er die Kayserliche Crone nicht empfangen mögen.* Et hoc quoque Hartmannus Maurus affirmat (*in descriptione Coronationis Caroli V.*) Eandem neglexisse Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. & Matthiam tradit REINKING. *de regim. secul. lib.1. class. 5. c.8. n.20.* quod sane duriusculum aliquo modo videtur. Scimus equidem Illos, iuxtaque Ferdinandos II. & III. Corona Romana non fuisse coronatos, sed Eam illos neglexisse, quam tamen assumere Capitulatione promiserant, salva Ipsorum reuerentia affirmari vix potest. Fortassis Pontifex Eam illis alia intentione & cum Onere dare voluit, quam Illi accipere, & quod subire Maiestas Imperii non permittit; vel etiam variis & citra Ipsorum culpam incidentibus negociis impediti Eandem omiserunt, vt supra ostendimus.

§. LXVI. Aut denique in Eadem petenda diutius cunctati sunt, dubii forsitan: An Operæ & Expensarum precium hac Corona consequantur? Certe non sine Ratione. Nam si dicendum quod res est, deprehendere licet, Nomen & Ipsam Coronam si exceperis, parum, aut nihil amplius ad Coronatum transire. Olim equidem nondum satis callida Vetustas a Pontifice aliquando sibi persuaderi passa est: Electione Regem Romanorum fieri,

fieri, Coronatione Romanum Imperatorem, cuius rei hinc inde varia sunt testimonia, atque etiam in Ipsa Caroli IV. *A. B. cap. 2. §. 6. cap. 26. §. 4.* Verum enim vero satis constat, omnem Coronationem esse saltem accidens, nec de essentia Imperatoris, eamque adhiberi, non vt aliquid noui iuris Electo conferat, sed vt ille publice ac solenniter pro tali declaretur, quod vero Sola Electione fiat Imperator, patet ex *A. B. tit. 2. §. 5. ibi : peracta statim Electione.* Ipsam autem Coronam Imperatoribus Amuleti instar esse, ac contra quosuis morbos ac tragicos casus, Legatus aliquis Pontificius in Coronatione Friderici Regis Romanorum An. 1451. itidem Nobis persuadere conatus est, inquiens : *Ex Germanis Caesaribus qui per manus primi Pastoris inuncti Romae coronatique sunt, nullum comperimus violenta morte periisse, vti ex Italis & Graecis Impp. quam plurimi.* Sed haec veritati contrariari, mors Ottonis II. qui telo sauciatus decessit, Ottonis III. qui veneno necatus. Friderici II. qui itidem veneno absumptus, aliorumque tragica exempla demonstrant. Cum itaque praeter Nomen & Coronam ipsam nihil amplius Impp. hac Coronatione consequantur, mirum non est, quod Eandem non ita studiose ambiuerint.

§. LXVII. Hinc sane fit, quod, nisi diuersi diuersarum Capitulationum articuli, qui hanc Ipsam Coronationem fieri debere praecipiunt ; non quidem ob praeceptum ac finem a pontifice positum, sed propter monitum Electorum, & finem iam olim credulitate receptum, obstarent, quam plurimae, exque grauissimae haud deessent rationes, quibus hanc Coronam omittendam esse suadere possemus ; vna est Absentia Caesaris, quae non raro, dum Iter in Italiam vel Romam versus suscepit, aliis occasionem praebuit, motus in Germania suscitare. Altera est, Iter intutum, Locusque Caesaribus saepius exitialis, quod Imp. Arnulphi OTTONIS II. & III. HENRICI IV. HENRICI VII. horrendis exemplis ex Mutii *chron. Germ. lib. 12. & 14.* ostendi posset, nisi silentio haec talia inuoluere consultius foret. Tertia

tia autem causa sunt duræ minusque decoræ conditiones, quæ coronandis nonnunquam præscriptæ fuerunt, quales sunt, vt ab acceptis insignibus statim Italia discederent. Quod certe nil aliud est, quam Principem Romanum, publicæ Libertatis Authorem Libertate priuare. V. KTRIANDER. *Aug. Trevir. annal. part. 14. p. 116.* Quarta Ratio esse videtur Pontificum præsumpta ac falsa Opinio, dum sibi persuadent hanc Coronationem argumentum & notam esse suæ in Impp. Superioritatis ac potentiæ, quoniam Nomen Imperatoris & Augusti hac Coronatione iis conferant, quod licet sæpissime refutatum, consultius tamen esset, omnem hic Eis iactandi vanitatem adimere. Quinta Ratio seu Causa videntur magnæ Impensæ ad hanc Coronationem necessariæ, quanta enim dona Ecclesiæ Romanæ, Præfecto Vrbis, cæterisque Romanis Officialibus Coronandi dare & elargiri debuerint vel quasi coacti sint, breuibus dici non potest. Videatur E. hac de re prolixe Otto Frisingensis *chron. l. 7. c. 33. Onuphrii Panuini Tract. de Comitiis Imperii.* Quanta denique pecuniæ Summa fuerit impensa in stipendia militum, sex mensibus continuanda ordinarie in quatuor millia Equitum & viginti millia peditum. *R. Abscheid zu Wormbs. An. 1521. §. auch haben uns Chur-Fürsten. R. A. zu Nürmberg. An. 1522. in fin. pr. p. 171.* nemini, nisi plane Rerum gestarum ignaro ignotum esse potest.

§. LXVIII. Verum enim vero licet hæc Coronatio ob iam allegatas Rationes omitti posset, atque aliquando ex variis causis & impedimentis per aliquot Nouissimos Impp. etiam omissa fuerit; ideoque rarior vsus huius Expeditionis Romanæ hodiernum sit, Nomen tamen retinetur, etsi res fere ad alium vsum pro necessitate Imperii transfertur. Vnde fit, quod Sumptus, qui ad bellum Turcis inferendum a Statibus Imperii conferuntur, nonnunquam ad quantitatem Expeditionis Romanæ, *nach Anschlag des Römerzugs* computentur. *R. A. de An. 1544. §. und damit man* & *R. A. zu Regenspurg. An. 1576. §.*

Die-

Dieweil aber unsern Kœnigreichen. &c. ibi. *auff den einfachen Rœmerzug. nach eines ieden gewœhnlichen Anschlag.* it. *R. A. zu Augspurg. An. 1582. §. Wann dem H. Reich.* &c. ibi. *auff den einfachen Rœmerzug. nach eines ieden gebührlichen Anschlag, zur beharrlichen Defensiu-Hülffe.* &c. it. *R. A. de An. 1594. §. Wie wohl nun Chur-Fürsten.* &c. ibi : *Zu Abwendung des Türckischen Friedenbrechers einer freywilligen mitleidentlichen Hülffleistung sich entschlossen, und auff den einfachen Rœmerzug,* it. *R. A. de An. 1598. §. So ist doch von Ihnen. R. A. de An. 1603. §. nichts destoweniger.* & passim : Quandoque etiam simplices sunt Sumptus, *nach den Einfachen Rœmerzug.* vt iam dictum : quandoque vero duplicati : nonnunquam enim pro dimidio soluuntur. *R. A. de An. 1542. §. und wiewohl Chur-Fürsten.* &c. ibi : *nemlich den halben Anschlag des Rœmerzugs. R. A. zu Erffurth. An. 1567. §. wann wir nun in unsere Kays. Proposition,* &c. Item ad extruenda & munienda fortalitia : *R. A. zu Speyr. An. 1570. §. erstlich.*

§. LXIX. Hic Ergo collectandi Modus, nempe, secundum Censum Expeditionis Romanæ, (*nach Anschlag des Rœmerzugs.*) licet per aliquot Secula in instituendis Imperii Collectis ac Contributionibus a Statibus Imperii diligenter fuerit obseruatus; postmodum tamen & imprimis hodie nonnulli Imperii Ordines Eum alicuius iniquitatis arguunt, forsan ob nimiam Eius inæqualitatem, quia temporum illorum quibus institutus atque insimul obseruatus fuit hic modus, & nostrorum, tam discrepans est Status, tantaque diuersitas, vt iis inter se inuicem collatis, longe alia, quam olim bonorum facultatumue hodie sit Conditio. Atque hinc est, quod plurimi Statuum Ordines, Matriculæ ad Expeditionis Romanæ Censum directæ Correctionem & reductionem in omnibus ferme ac singulis Imperii Comitiis Vniuersalibus tantopere expetunt.

§. LXX. Vnde Alterum illum Collectandi Modum qui fit per Censum Communis Denarii (vulgo *nach Anschlag des*

des gemeinen Pfennings.) longe aptiorem & magis æquiorem plurimi Status existimant, eo potissimum, quod secundum Eius Collectionem Nemo vltra vires ac facultates suas grauetur, sed quisque pro rerum suarum modulo existimetur: Id quod multis etiam nobis ostendit *Vir de Republica nostra Rom. Germanica optime meritus Dn. Tobias Oelhaffen von Schœllenbach in Templo pacis. Orat. IV. & V. p. m. 158. & 200.* quarum priori summam necessitatem & Vtilitatem decantatæ Correctionis Matriculæ *ad d. Censum Exped. Rom.* directæ, abunde demonstrat, simulque media quibus facile ad hanc Correctionem perueniri posset, egregia exhibet. Posteriori vero Oratione firmiter concludit Communem Denarium, (Seposita hac Matriculæ Correctione, quod tamen fieri haud debet,) non solum magis æquiorem, sed etiam multo opimiorem & fertiliorem altero fore.

§. LXXI. Verum enim vero neque de hoc inter omnes ac singulos Imperii Ordines adhuc dum satis conuenit; tam discrepans enim ac diuersum Statuum hac in re est studium, vt in vnum redigi vix ac ne vix quidem possit; Cuius rei Exemplum nobis exhibet SPEIDELIVS *in Nouissimis suis Obseruationibus voc. Gemeiner Pfenning.* vbi ex Actis & Protocollis Imperii diuersa diuersorum Imperii Ordinum Vota diligenter annotauit atque studiose collegit, quorum aliqua saltem ex *d. Obseruationibus, (vtpote quæ in paucorum manibus sunt)* in medium proferre, nec superuacaneum neque inutile fore existimo.

§. LXXII. Cum enim, (inquit SPEIDELIVS) diuersis temporum vicibus, An. sc. 1598. 1603. & 1641. Hæc Quæstio in publicis Comitiis proponeretur: An nimirum, indicta tum temporis Contributio secundum Censum Expeditionis Romanæ, an vero iuxta Censum Communis Denarii præstanda esset? semper contrariis votis pugnatum fuit: id quod subiecta exempla ostendunt.

§. LXXIII. Ex parte enim DOMVS AVSTRIACÆ ET SA-

LISBURGENSIS, Earumque Adhærentium, quorum magnus erat numerus, pro Censu Communis Denarii Vota tum temporis fuere lata. I. Eo quod Communis Denarius longe sit antiquior Censu Expeditionis Romanæ, quoniam & Imperatoris Friderici tempore post occupatam Constantinopolim ac Orientalis Imperii euersionem in vsu fuerit, ac Imperator Maximilianus I. *An. 1495. & 1512.* Eundem vsurpauerit: Et licet etiam Imp. Carolus V. censu Expeditionis Romanæ nonnunquam vsus fuerit, id tamen ea occasione saltem factum, quoniam Status in Recessu Imperii *An. 1521.* Wormatiæ habito, Eundem concesserint ad Coronationem Romanam, non vero in alium finem: Adeo, vt, licet tum temporis pro hac Coronatione impetranda non vsurpatus, verum in aliam Imperii vrgentem necessitudinem versus; tamen postea sequentibus annis *Ann. 1542.* Communis Denarius denuo introductus fuerit. II. Quod Communis Denarius vigore Propositionis Imperatoriæ æquissimum ac iustissimum collectandi sit medium, quo Aurea Æquitas conseruari posset; quoniam Nemo hic vltra suas vires ac facultates, vel etiam Vnus præ altero aggrauetur, verum æquabilis proportio inter vnumquemque rite obseruetur: Quare nullum dubium, quin istiusmodi necessaria Collecta, certior, promptior, atque etiam vberior sit futura; cum hac ratione Statuum querelis de moderanda & minuenda Taxa nullus amplius locus relinqueretur. III. Quod Communis Denarius multas impediret controuersias ac difficultates, quæ alias in Censu Expeditionis Romanæ exoriri solent; nimirum: Quoad Subditorum Subcollectationem; & Status Eximendos ac Exemptos. Vel inter ipsos etiam Status, dum aliqui Collectam personis, alii vero rebus imponendam esse censent; aut denique inter Status Ecclesiasticos & Seculares, quorum Illi nonnunquam ob bona diversis in locis sita, ab vtroque Magistratu æstimantur; quod tamen iniquum est.

§. LXXIV. Ex parte vero BAVARI Eiusque Adhærentium

tium pro Censu Expeditionis Romanæ hæc proferebantur argumenta. I. Censum Expeditionis Romanæ ab *An. 1544.* per sequentia etiam tempora semper a Statibus fuisse vsurpatum; Communem vero Denarium per longum temporis spacium plane non obseruatum, aut si vel maxime obseruatus fuerit *An. scil. 1495. 1512. 1531. 1542. & 1544.* Eundem tamen optato effectu semper fuisse destitutum, pecuniamue ad propositum finem non collocatam, certo certius esse. II. Subditis graue fore, si præter Ordinarium Canonem, etiam Communem Denarium persoluere tenerentur; Et Censum Expeditionis Romanæ æque proficuum fore ac communem Denarium. III. Principes ac Status Imperii haud concessuros esse, quod sua suorumque bona ac facultates ita taxentur & publicentur, vt in Censu Communis Denarii fieri assolet; *Graue namque esse vilitatem detegi paupertatis, & diuitias exponere inuidiæ.* Certa quoque inter nonnullos Principes & Eorum subditos dari Compactata, ideoque Communem Denarium absque confusione & discordiis vsurpari haud posse; denique Statibus permissum semper esse in Recessibus Imperii Sub-Collectationem subditorum in istiusmodi auxiliis publicis instituere; & Principes alias satis sollicitos esse, quo Se ex bonis Cameralibus apte sustentare queant, cum certe quotidianæ expensæ in dies crescant, reditus vero Camerales magis magisque decrescant. Quare iam plures ante annos in Imperio nostro hunc Collectandi modum, nempe secundum Communem Denarium, fuisse sepositum, e contra vero Matriculam Imperii ad Censum Expeditionis Romanæ directam non solum ad Coronationem Romanam verum etiam ad quæuis alia toti Imperio Romano-Germanico imminentia pericula & mala vel auertenda vel minuenda, vsurpatam fuisse, testari Imperii Protocolla. v. SPEIDELIVS. *d. Obseruat. Confer.* AVCTOR. *des Discurß von dem iezigen Reichs-Tag. circa finem.*

§. LXXV.

§. LXXV. Has igitur & similes egregias grauesque pro hoc & illo Collectandi Modo in publicis Comitiis a diuersis Statuum Ordinibus in medium allatas rationes in suo equidem valore relinquimus, nec vnam præ altera arripimus, verum vtrasque pro virili in vtramque partem in Cathedra defendendas suscipimus; quoniam alias etiam hi duo Collectandi Modi, nempe secundum Censum Expeditionis Romanæ (*nach Anschlag des Römerzugs*, & iuxta Censum Communis Denarii, *nach Anschlag des gemeinen Pfennings* in Imperio nostro Rom. Germanico, licet diuersis temporum vicibus, consensu Statuum & subsecuto vsu, vtrique recepti & comprobati sunt; indeque etiam pari necessitatis, vtilitatis, & honestatis precio, si priuatis affectibus incorrupti fuerint subalternis vsibus, pro temporum & Reipublicæ Statu æstimandi veniunt. Quare hic gradum sistimus, & studia nostra Beniuolo Lectori porro commendamus.

IV.

IV.

M. PAVLI MARTINI SAGITTARII,

DISSERTATIO

DE

LOCIS SEPVLCHRALIBVS SER. FAMILIAE WITIKINDEAE AB EXCESSV OTTONIS DIVITIS

ALTENBVRGI

TYPIS RICHTERIANIS 1679. 4.



Vod diu mente agitaui, nunc tandem, occaſione ſic ferente, expediam, ea tamen lege, vt primis tantum lineis, pictorum more, ductis, Syngramma exhibeam, ſecuturo tempore, ſi Deus annuet, melius expoliendum. Tota res omnium optime, meo quidem iudicio, tractabitur, ſi Locos ſepulchrales Seren. Familiæ Witikindeæ iuxta ſeriem Alphabeticam recenſuero. Primum in iis locum ALTENBVRGVM teneat, quod in templis *Aulico* & *Diſcalceatorum* multa oſtendit Principum ſepulchra. Illud D. Georgio a *Wilhelmo* II. *Diuite* conſecratum in Choro aſſeruat I. ipſum Fundatorem Weidæ A. 1425. ſexta ante Palmarum die, vt Hiſtoria Erpheſfordienſis de Landgrauiis Thuringiæ c. 161. ſtatuit, aut ipſa Dominica in Palmis, placida morte extinctum. II. Fratrem Wilhelmi *Fridericum Bellicoſum*, primum ex Miſniæ Marchionibus Saxoniæ Electorem hic 4. Ianuar. A. 1428. ex tempeſtatibus mundanis eluctantem & ſepultum, quanquam Chronicon Neoſtadienſe, Appendix Lauterbergii & Wolffg. *Krauſe* in Chron. Geneal. Famil. Sax. *Reinhardisborna*, Abrah. Her-

Hermannus in Geneal. Ducum Sax. p. 16. *VVittenberga* & *Misna* Paulus Langius, Petrus Albinus & Fridericus Hortlederus tumulatum velint, vt in dissertatione de loco sepulchrali Friderici Bellicosi pluribus indicaui. III. *Margaretham*, Friderici Placidi, Electoris Coniugem & filiam Ernesti, Archiducis Austriæ, ex arce nostra in cœlestem Dominica Inuocauit 6. Febr. A. 1486. euocatam, & diebus Mercurii, qui Francisco in Fastis sacer, nec non Iouis, humatam Senatoribus humeros capulo subiicientibus. Falli ergo videtur Vir cœteroquin doctissimus Fabritius, quod *Margaretham* Lipsiæ A. 1484. denatam l. VII. Orig. Sax. f. 791. & *Misena* conditam l. de Electoribus f. 22. asserat, IV. *Iohannem VVilhelmum*, Iohannis ex Dorothea Maria Anhaltina filiolum 7. Apr. A. 1595. fato functum & die postero terræ mandatum. V. Anonymum eiusdem filiolum inter materni vteri latebras 11. Apr. A. 1598. suffocatum & 14. eiusd. iuxta fratrem repositum. VI. *Magdalenam Sibyllam*, Seren. Friderici & Magdalenæ Sibyllæ gnatam 2. Mart. A. 1673. floris instar solstitialis prætereunte aratro tactam & 19. Mensis currentis *Margaretha*, qua Austrum respicit, adlateratam. Conditorium fornicatum auspiciis optimi Principis, *Friderici VVilhelmi* A. 1663. paratum continet VII. Ipsum autorem laudis vitæque suæ terminum 22. Apr. A. 1669. attingentem & conditiuo die 14. Iulii traditum. VIII. Eius vxorem *Magdalenam Sibyllam*, Christiani V. Daniæ Heredis viduam & filiam Iohannis Georgii I. Ensiferi 6. Ianuar. 1668. humanis rebus exemptam & 9. Martii funeratam. *Filios* item duos IX. *Christianum*, Iuuentutis Principem mortalibus 5. Iun. A. 1663. subductum ac primum monumento nouo 22. Iul. impositum, & X. *Fridericum VVilhelmum III.* quem absoluto breui vitæ penso sidera tanquam suum 14. Apr. A. 1672. non sine ingenti subditorum desiderio, repetiere, mœstaque patria funere magnifico 17. Iul. extulit. *Ædes Discalceatorum* Scholæ nostræ contigua in requietorio Sacrario proximo & A. 1627.

N in

in hunc vſum formato locum ſepulturæ dedit XI. *Annæ Mariæ*, ſecundæ Friderici Wilhelmi I. maritæ, filii Philippi Ludouici, Comitis Palatini Rheni, Dornburgi Calendis Febr. A. 1643. vitæ finem facienti & 27. Aug. anni inſequentis hic depoſitæ. XII. *Iohanni Philippo*, Friderici Wilhelmi ex Anna Maria filio natu maximo, qui 1. April. A. 1639. viuere deſiit & 5. Febr. anni ſubſequentis tumulum ſubiit. XIII. Eius coniugi *Eliſabethæ*, Auguſti, Ducis Sax. Viduæ, patre Henrico Iulio, Duce Brunouicenſi, prognatæ, cuius corpus 25. Martii A. 1650. morte reſolutum 21. Maii ad latus Mariti locabatur. XIV. *Friderico*, Friderici Wilhelmi I. ex altero matrimonio filio natu ſecundo, qui in cruento conflictu prope Hannoueram globis duobus capite & brachio ſiniſtro traiectus 25. Oct. A. 1625. animam Deo reddidit, ſeruatus Hannoueræ ad S. Ægidium vsque ad 10. Nou. A. 1628. inde huc delatus 10. Febr. A. 1629. & 12. ei. compoſitus. XV. *Annæ Mariæ*, patre Friderico Wilhelmo I. & matre Sophia Wurtenbergia editæ, cui Dreſda viuendi finem 15. Dec. A. 1626. attulit, & Altenburgum, quo Dreſda 5. Ianuar. A. 1627. transportata, 21. ei. iuit exequias. XVI. *Dorotheæ*, Alberti III. Saxoniæ Ducis viduæ, filiæ Friderici Wilhelmi I. ex ſecundo coniugio, quam Deus ex mortali ad immortalem vitam 10. Apr. A. 1675. tranſtulit. Quod caducum in ea, gentilitium 8. Iul. recepit conditorium. XVII. *Sophiæ Eliſabethæ*, Friderici Wilhelmi II. thori ſociæ, patre Chriſtiano Wilhelmo, Adminiſtratore Magdeburgenſi, genitæ 6. Martii A. 1650. naturæ, vti neceſſe erat, concedenti & 20. Maii funeri deſtinatæ. Et XVIII. *Dorotheæ*, Sophiæ Eliſabethæ iam laudatæ genitrici & Henrici Iulii, Ducis Brunouicenſis, filiæ, cui humani quid Ziegeſeræ 1. Sept. A. 1643. accidit. Manibus illius iuſta 28. Aug. 1644. ſunt ſoluta.

CELLA vetus ad Muldam Freibergenſem ab *Ottone Diuite*, Marchione Miſniæ, in honorem S. Mariæ A. 1164. exſtructa multis ſepulchri ſedem præbuit; ibi enim requieſcunt (1.) huius

huius Monasterii Monachis Ordinis Cistercienfis assignati conditor *Otto*, qui supremum diem 18. Febr. A. 1189. expleuit. II. *Ottonis Vxor* Hedwigis, filia Alberti Vrsi, Electoris Brandenburgici ex Sophia Reineccensi. III. *Albertus*, Ottonis filius, Heinrichsdorfi, 24. Iun. A. 1195. vitae mimum absoluit. IV. *Sophia*, vxor Alberti, Friderico, Duce Bohemiae, oriunda, maritum 24. Iulii secuta. V. *Ditericus*, Ottonis filius vitam 27. Febr. A. 1222. (Annales Lauterbergenses A. 1220.) posuit. VI. *Iutta*, coniux Diterici, filia Hermanni, Thuringiae Landgrauii & liberi sex. VII. *Ditericus*. VIII. *Otto*. IX. *Conradus*. X. *Iutta*. XI. *Hedwig*. & XII. *Sophia*. XIII. *Henricus Illustris*, Diterici filius, Dresdae mortalitatem exuit 15. Febr. A. 1288. (Albinus Chron. Misn. tit. 22. f. 293. ponit 25. Febr.) quo die iusta forsitan ipsius manibus data. XIV. *Constantia*, filia Leopoldi, Ducis Austriae, a latere mariti Heinrici III. 7. Iulii A. 1262. (non 1242. vt Albinus l. c.) auulsa. XV. *Agnes*, Ottocari, Regis Bohemiae filia, & altera Heinrici III. vxor, quae naturae debitum, 13. Sept. A. 1268. reddidit. XVI. *Elisabetha* Malticii (non Milticii, vt Reus. Stemm. Witich. l. 33.) Lichtensteinii habitantis filia, tertia Heinrici III. vxor, mundo 14. Ian. valedixit. XVII. *Ditericus Pinguis*, Heinrici III. ex Constantia filius, vitae cursum 8. Febr. A. 1282. confecit Suselitii, quo loco Fabritius & Reusnerus conditum eum volunt. XVIII. *Fridericus Tutta*, Diterici Pinguis & Helenae filius, Hirschsteinii A. 1291. mortem inuenit. XIX. *Hermannus Procerus*, Heinrici III. ex Elisabetha Malticia filius A. 1304. (non 1238. vt Albin. l. c.) morte concidit. XX. *Fridericus Paruus*, frater Hermanni, Dresdae 25. Apr. A. 1316. spiritum effudit. XXI. *Heinricus Exul*, filius Alberti & Margarethae Sueuicae A. 1289. (1299. Albinus & Faust. in Geneal. p. 131.) de vita exiit. XXII. *Hedwigis*, Heinrici Exulis compar, Heinrico, Silesiae Duce procreata, & filius XXIII. *Fridericus*. XXIV. *Agnes*, Carinthiae Ducissa, vxor Friderici Admorsi, quae Fabritio l. 6. Orig. Sax. f. 639. & Reus-

 nero

nero f. 36. hic cubare dicitur, fato defuncta A. 1318. quod tamen veritati Historicæ non consonum; Fridericus enim Grauis, Friderici Admorsi ex altera vxore Elisabetha Arnshaugia filius A. 1310. vitalem auram hausit. XXV. *Fridericus Claudus*, quem ex Agnete Fridericus Admorsus suscepit, in oppugnatione arcis Zvvenccanæ sagitta confixus Anno 1315. occubuit, Cellæ humatus 13. Ian. XXVI. *Fridericus Grauis*, viua Friderici Admorsi & Elisabethæ Arnshaugiæ imago 2. Febr. Anno 1349. de vitæ præsidio decessit. XXVII. *Mechtildis*, Friderici Grauis vxor, Ludouici IV. Imper. filia 2. Iul. A. 1346. fato succubuit. XXIIX. Huius Filius *Fridericus Strenuus*, Altenburgi 26. Maii A. 1380. humana relinquens cum vxore XXIX. *Catharina*, Henrici XII. Comitis Hennebergici, filia 15. Iulii A. 1397. demortua; XXX. filio *Friderico*, cui Parca vitæ stamen teneris in annis intercidit & XXXI. filia *Catharina*, quam Infantem adhuc mors occupauit.

CIZÆ Conditorium Principum in templo nitidissimo arcis *Moritzburgi* ad Elystrum reperitur, quo Sereniss. *Mauritius* coniugem suam alteram *Dorotheam Mariam*, Wilhelmo IV. Duce Saxo-Vinariensi genitam & 11. Iun. 1675. leto datam reposuit, vt & liberos I. *Iohannem Georgium* 5. Sept. A. 1666. vita orbatum. II. *Eleonoram Magdalenam*, 26. Febr. A. 1661. e viuis sublatam. III. *Mariam Sophiam*, quam in cunis adhuc cubantem 31. Maii A. 1671. vita destituit, & IV. *Magdalenam Sibyllam*, 20. Aug. 1672. in complexu Matris Optimæ mortuam & 2. Oct. exequiis decoratam.

COBVRGO, Franconiæ Montanæ oppido, vendicamus I. *Iohannem Ernestum I.* Ioh. Constantis, Electoris Saxoniæ ex Margaretha filium, cui dies octauus Febr. A. 1553. fati lineam consummauit. II. *Iohannem Fridericum II.* Iohannis Friderici Electoris filium Stiræ (non Neostadii) in Austria 9. Maii A. 1595. ex captiuitate in æternam libertatem vocatum, cuius exta ædes S. Ægidii Stiræ d. 13. ei. recepit, ossa vero Coburgum.

III. Coniugem Ioh. Friderici II. *Elisabetham* Palatinam Neostadii, Austriæ oppido, 8. Febr. 1594. vinculis humanis solutam & 30. Dec. humo creditam. IV. *Iohannem Casimirum*, iam laudati Ioh. Friderici II. ex Elisabetha filium, qui beatorum consortio 16. Iulii 1633. adscriptus est. Atque horum exuuias templum oppidanum S. Mauritii possidet; Quæ autem in Castro videtur Ædes, *Annæ*, Iohannis Casimiri Coniugis primæ, & Augusti, Electoris Saxoniæ filiæ, ossa dicitur asseruare.

CRVCIBVRGVM, Thuringiæ oppidulum, admisit *Elisabetham* Iohannis, Comitis Mansfeldensis, filiam & maritam Iohannis Ernesti II. quæ puerperii laboribus fatigata 12. Apr. A. 1596. ab oculis mariti recessit, sepulchrum vna cum filiolo *Iohanne Friderico* 8. Apr. prima post partum hora denato, in templo ad forum sito accipiens, Rensnerus f. 45. *Ilmenam* statuit.

DRESDÆ elegantissimum *Sophiæ* templum videtur & in eo exuuiæ I. *Iohannis VVilhelmi*, Friderici Wilhelmi I. Pro-Electoris ex Anna Maria filii, qui Brigæ Silesiorum 2. Dec. A. 1632. mortem oppetiit & ad sepulchrum 28. Martii A. 1633. contendit. II. *Iohannis Georgii*, patre Christiano & matre Christiana Holsata nati, qui mortis falce 3. Ian. A. 1654. est succisus. III. *Anonymi* eundem cum Ioh. Georgio patrem agnoscentis & inter fingentis adhuc naturæ manus 1. Febr. A. 1656. intercidentis. IV. *Sophiæ Hedwigis*, filiæ Philippi, Ducis Holsato-Glucksburgensis, Mauritio iunctæ, cui difficilis pariendi labor vires vitamque ipsam 27. Sept. A. 1652. ademit: Filiorum V. *Iohannis Philippi*, & VI. *Mauritii*, quorum ille 24. Mart. A. 1652. teneram animam efflauit: hic vero 10. Maii A. 1653. & 24. ei. humo coopertus.

ERFVRTI, Thuringiæ ocelli, in B. Virginis æde *Albertus I.* Heinrici Illustris filius A. 1314. demortuus voluit quiescere.

FREIBERGAM splendidissimum Ducum Saxoniæ Mausoleum in templo Basilico continere, hominem, qui his in terris

ris ignoret arbitror neminem. Hic namque iacent I. *Henricus Pius*, ex ſanguine Alberti Animoſi 18. (alii 19.) Auguſti A. 1541. vitam cum morte commutans. II. Coniux *Catharina*, Magni Ducis Megapolitani, filia, quæ octuagenario maior Torgauiæ 6. Iun. A. 1561. inter viuos eſſe deſiit. III. *Mauritius*, Heinrici filius, Elector, quem hoſtilis globus in acerrimo prope Siuershuſam prælio 11. Iulii A. 1553. proſtrauit. Supremum pietatis officium apparatu funeris magnifico Miſnia 23. Iulii celebrauit, viſceribus Siuershuſæ conditis. IV. Filiolus ex Agnete Haſſiaca, *Albertus*, qui exiguo vitæ curriculo Dreſdæ 12. Apr. 1547. confecto, 26. dicti menſis auitis cineribus immixtus creditur. V. *Sidonia*, Mauritii ſoror, in connubio Erici, Ducis Brunouicenſis, Weiſſenfelſæ 4. Ian. 1575. diem obiit, ſepulturæ honore 10. eius affecta. VI. *Auguſtus*, Elector Saxoniæ, Heinrici filius, Dreſdæ 11. Febr. A. 1586. mundi Theatro exceſſit, ad Maiores 15. Mart. collectus. VII. Vxor *Anna*, quæ Chriſtianum III. Daniæ Regem patrem habens maritum præceſſit 1. Oct. A. 1585. Dreſdæ, inde portum corporis Freibergæ 2. Nov. nacta eſt, vbi amiſſa anima mollem ſomnum capiat. Filii octo: VIII. *Iohannes Heinricus* 12. Nou. A. 1550. cœlitibus adſcriptus & ſepulchro 16. ei. donatus. IX. *Ioachimus* 22. Nou. A. 1557. morte raptus, cui tumulus d. 25. ei. parabatur. X. *Magnus* 6. Nou. A. 1558. in communem locum abiit, ſepulcro 10. ei. incluſus. XI. *Hector*, qui 4. Apr. A. 1560. a felicium animarum cœtu exceptus 6. ei. huc eſt tranſmiſſus. XII. *Alexander*, Adminiſtrator Præſulatus Martisburgenſis, ſpiritu 15. Oct. A. 1566. (alii 7. Oct. 1565.) laxato reliquis fratribus 22. ei. adlateratus eſt. XIII. *Auguſtus*, cui vitæ exodus 12. Febr. A. 1570. contigit & introitus in ſepulchrum 14. ei. XIV. *Adolphus*, quem natura ab oculis hominum 12. Mart. A. 1572. amolita eſt, terraque 14. ei. indidit. XV. *Fridericus* 24. Ian. A. 1576. Annæburgi vita defunctus, & cæteris fratribus 28. ei. adiectus. Filiæ tres XVI. *Eleonora*, 24. Apr. A. 1553. in fata conceſſit & in tumulum 27. ei. XVII. *Æmilia* 2.

Iulii

Iulii A. 1565. ad vitæ exitum vocata. XIIX. *Maria*, 8. Ian. (alii 6. Ian.) 1566. spiritum fato dedit. XIX. *Christianus I.* Septemuir Saxoniæ, Augusti filius, 25. Sept. A. 1591. vitæ munera reliquit. Exequias eius Freiberga 26. Oct. prosecuta est. XX. *Sophia*, Iohannis Georgii, Electoris Brandenburgensis filia, in toro Christiani I. quæ perennem salutem beata morte 7. Dec. A. 1622. impetrauit & marito 28. Ian. anni subsequentis vnita perhibetur. XXI. *Anna Sabina*, Sophia matre prognata 24. Mart. A. 1586. discessit, cuius ossa 26. ei. monumento auito immissa. XXII. *Elisabetha* (non Sophia, vt *Schmidt*, in Ann. Zwiccav. p. 303.) eadem matre prodiens 4. Mart. (4. Maii Moll. in Ann. Freib. p. 362.) A. 1589. breuem vitæ fabulam peregit & 7. ei. reperit requiem. XXIII. *Christianus II.* Romani Imperii Ensifer, patre cognomine gaudens, 23. Iun. A. 1611. morte repontina interceptus, Exequias Freiberga 6. Aug. curauit. XXIV. Huius coniux *Hedwigis*, Friderici II. Daniæ Regis filia, quæ Lichtenburgi 26. Nou. 1641. ad fatale decretum abiens 29. Maii a. 1642. ad maritum congregabatur. XXV. *Augustus*, Christiani II. frater, Administrator Episcopatus Naumburgensis, qui vitæ humanæ proscenio Dresdæ 26. Dec. excedere visus Freibergæ resurrectionem expectat, quo 6. Febr. A. 1616. aduenit. XXVI. *Dorothea*, Augusti vterina, Abbatissa Quedlinburgensis, Dresdæ 17. Nou. A. 1617. in diuas transcripta. Exequiarum officium 9. Dec. ipsi est solutum. XXVII. *Iohannes Georgius I.* Septemvir Saxoniæ, Christiani I. filius, qui ex hac vita ad gaudia cœlestia 8. Oct. A. 1656. euolauit. Humanitatis negotium Filius optimus Iohannes Georgius II. 4. Febr. A. 1657. gessit. XXVIII. Coniux illius prima *Sibylla Elisabetha*, Friderici, Ducis Wurtenbergici, filia, cui lucis huius vsura 20. Ian. A. 1606. erepta. Funeris curam 25. Febr. habuit maritus. XXIX. Altera *Magdalena Sibylla*, Alberti Friderici, Ducis Borussiæ filia, quam anima 12. Febr. A. 1658. defecit. In officium exequiarum Filii Filiæque 12. Apr. successerunt. Filioli tres XXX. Anonymus in visceribus matris 18. Iulii A. 1608. ex-

tin-

tinctus, & ad Mausoleum auitum 25. ei. deductus. XXXI. *Christianus Albertus* 9. Aug. A. 1612. a Deo manumissus, Freibergam 31. dicti mensis portatus. XXXII. *Sibylla Maria*, Ser. Iohannis Georgii II. Saxoniæ Electoris, ex Magdalena Sibylla Culmbacensi filiola, quæ in Libitinæ rationem 27. Febr. A. 1643. veniens Maiorum funeribus 6. Apr. est annumerata.

GOTHA, antiqua Gothorum sedes, inque ea templum oppidanum *S. Margarethæ* honori dicatum sepulturæ sedem impertita est I. *Ser. Ernesto Pio*, Iohannis & Dorotheæ Mariæ Anhaltinæ filio, qui 26. Martii A. 1675. ad illas præmissus est sedes, in quibus beati æuo sempiterno fruuntur. Vltimum officium debitæ pietatis obsequio 26. Iunii impleuimus. Eius Filiis quatuor ex pientissima Elisabetha Sophia. II. *Iohanni Ernesto*, Iuuentutis Aquilæ, cui morbilli tantam vim intulerunt, vt animam vltimo A. 1657. die sede sua eiecerint. Funus satis amplum ei faciendum curarunt Parentes 14. Ian. A. 1658. III. *Christiano*, qui, velut solstitialis herba, ostentatus simul est raptusque, quod factum 1642. IV. *Iohanni Philippo I.* 19. Maii vita functo & 26. ei. tumulato. V. *Iohanni Philippo II.* quem fati iniquitas 13. Mart. A. 1662. abstulit. Filiabus numero totidem VI. *Iohannæ* 7. Dec. A. 1657. vi variolorum prostratæ & 17. ei. terræ mandatæ. VII. *Sophiæ* eodem morbi genere 14. Dec. A. 1657. oppressæ & sorori 18. ei. adlateratæ. VIII. *Iohannæ Elisabethæ* viuorum numero 18. Dec. A. 1660. exemtæ. IX. *Sophiæ Elisabethæ* 23. Maii A. 1663. obdormiscenti, Nepoti X. *Iohanni Ernesto*, Seren. Bernhardi & Mariæ Hedvvigis Darmstatinæ filiolo, 8. Febr. A. 1675. exanimato, Et Nepti XI. *Mariæ Elisabethæ* idem cum fraterculo Iohanne Ernesto fatum A. 1676. expertæ.

HALA Saxonum cor *Ernesti*, Archi-Episcopi Magdeburgensis, patre Ernesto, Saxoniæ Electore, orti in æde aulica Moritzburgensi complectitur. Carnis autem viam 1. Aug. A. 1513. ingressus est. Ædes Basilica ternarium Filiarum, quas Augusto, Germaniæ Primati & Administratori Magdeburgensi Anna

Maria

Maria peperit. 16. Iun. A. 1663. recepit, *Catharinam*, ſcilicet 21. Apr. *Eliſabetham* 11. Maii & *Dorotheam* 12. ej. placida morte, vt molli ſopore, ſolutas.

De IENA pauca quoque veniunt memoranda; Hic enim in templo oppidano S. Michaëlis conditorium *Bernhardi*, quem Wilhelmus IV. ex Eleonora Dorothea Anhaltina ſuſcepit. Mortem & eius fecialem febriculam 3. Maii anni ſuperioris ſuperare cœpit, 20. Iunii quieti datus. Iuxta eum cubant filii ex Maria Tremollia *Wilhelmus* & *Bernhardus*, in quibus ille 21. Iunii A. 1666. hic 26. Apr. A. 1668. ad plures abierunt: & filia Anonyma, quæ 7. Apr. A. 1666. in lucem hanc edita, lucem tamen videre non potuit.

IENA relicta ISENACVM ingredior continens *Friderici Admorſi* 25. Apr. A. 1325. (non 1326.) terminum bellis & laboribus ſuis ponentis, cineres in templi ſuburbani S. Catharinæ Sacello D. Iohanni conſecrato. In æde fratrum Prædicatorum dormit Coniux *Eliſabetha* Arnshaugiana A. 1359. vita priuata cum *filiola cognomine*. Hic quoque ſiti ſunt *Iohannes Erneſtus II.* Iohannis Friderici II. ex Eliſabetha Palatina filius, qui deſideratam animæ ſuæ analyſin ex triſti corporis ergaſtulo 23. Oct. A. 1638. conſecutus eſt: *Albertus*, Iohannis & Dorotheæ Mariæ filius e medio Fratrum ad Mediatorem 20. Dec. A. 1644. ſublatus, cui exequiarum ſolennitas 7. Martii anni inſequentis celebrata: *Adolphus VVilhelmus*, Wilhelmo IV. genitus, e miſerrima ærumnarum valle ad cœleſtem ciuitatem A. 1668. tranſiit vna cum filiis *Carolo Auguſto*, *Friderico VVilhelmo*, *Erneſto Auguſto*, *Erdmanno* & *VVilhelmo Auguſto* poſthumo, quem fatalis hora A. 1671. ſuperuenit.

Quoad LIPSIAM, Muſis & Mercurio propitiam, & hæc funera Principum ſuo recepit ſinu; Nam ædes Paulina *Dicemannum*, Alberti ex Margaretha Sueuica filium 26. Dec. (alii 25.) A. 1307. (non 1280) in templo Thomano a Sicario trucidatum condidit, vt & *Eliſabetham*, Alberti 3. Auſtriæ Archi-Ducis filiam,

O Er-

Ernesti, Saxoniæ Electoris coniugem, quæ die Veneris post Dominicam Esto mihi A. 1484. (non 1483. vt Langius) ex hoc turbulento vitæ salo in perpetuæ quietis portum nauigauit.

MAGDEBVRGI sepeliri voluerunt Archi-Episcopi Magdeburgenses *Ludouicus* & *Ernestus*: ille Friderici Grauis filius 17. Febr. A. 1382. (quidam 1381.) suum obiit fatum: & hic Ernesti, Electoris proles 1. (alii 3.) Aug. A. 1513. Deprehendes autem amborum ossa in æde S. Mariæ.

In MARTISBVRGENSE dormitorium, quod ædes Dominica exhibet, Seren. Christianus, Episcopatus Martisburgensis Administrator reposuit par liberorum *Mauritium* & *Magdalenam Sophiam* ille 21. Apr. 1664. hospitio egressus est: hæc A. 1673.

Ex veteri Cella Principum conditorium MISENAM translatum est, vbi tumulus in æde Dominica paratus. I. *Friderico*, Friderici Grauis filio, qui albatus Rochlitii 5. Dec. A. 1329. de vita exiit. II. *Sigismundo*, Episcopo Martisburgensi, qui filius Friderici Grauis Misenæ A. 1357. vitæ telam pertexuit. III. *VVilhelmo I.* Coclitis Sigismundi iam nominati fratri, cui supremum fati tempus die Cinerum A. 1407. illapsum. Funeris honore 10. Febr. dicitur mactatus. IV. Coniugi *Elisabethæ*, Iodoco Marchioni Morauiensi suam debenti originem, quam summus vitæ arbiter ad finem mortalitatis 20. Nou. A. 1400. deduxit. V. *Annæ* & VI. *Claræ*, Friderici Grauis filiabus. Capella Principum Basilicæ occasum versus adhærens & fundata a Friderico Placido complectitur. VII. *Catharinam*, Friderici Bellicosi thori sociam, patre Heinrico, Duce Brunouicensi natam, quæ constitutum a Deo & natura cursum Grimmæ 18. Dec. A. 1442. absoluit. Labitur Fabrit. tr. de Elect. Sax. f. 20. quod Altenburgi humatam scribat. VIII. *Heinricum*, ex Catharina natum & A. 1433. denatum. IX. *Sigismundum*, Antistitem Herbipolensem, Patre Friderico Bellicoso satum, quem hora fatalis Rochlitii 25. Dec. A. 1457. inuasit. X. *Fridericum* Placidum Sigismundi fratrem, qui Lipsiæ 7. Sept. A. 1464. (non 1463.) colophonem vitæ imposuit. Filios eius XI. Hein-

Heinricum 22. Iulii A.1435. in mortis necessitatem tractum. XII. *Alexandrum*, A.1446. vita orbatum. XIII. *Fridericum* 23. Dec. 1451. sarcinulam colligentem: & Filias. XIV. *Aureliam* in pueritia mortuam. XV. *Aemiliam*, Ludouici (non Georgii) Diuitis, Ducis Bauariae, coniugem, quae non tam finiit mortalitatem, quam eius leges Rochlitii 18. Nou. A. 1502. impleuit. XVI. *Ernestum*, Electorem, Friderici itidem filium, qui Colditii (non Rochlitii) corpus, ceu dormiturus vestem, 26. Aug. A.1486. exuit; optimam Matrem Margaretham secutus. XVII. *VVolfgangum*, eius ex Elisabetha Bauara filium. XVIII. *Albertum*, militibus *Rolandum* salutatum, Ernesti fratrem, quem morbus solstitialis Germaniae inuidit, quod in Monasterio prope Emdam, Frisiae vrbem die Sabbati post Natiuitatis Mariae A. 1500. accidit. Extis in Coenobio conditis corpus exanime Misenam vectum est 29. Ian. A. 1501. vt Mich. Boemus in vita Alberti tradit. Fabritius l. VII. O.S. f. 839. habet 1. Nou. A. 1500. XIX. Eius Vxorem *Zedenam*, Georgii Podiebradii, Regis Bohemiae, filiam ad beata Paradisi viridaria Taranti 1. Febr. A.1510. euocatam. Filios XX. *Iohannem I.* XXI. *Ludouicum.* XXII. *Iohannem II.* XXIII. *Fridericum*, Magistrum Ordinis Teutonici in Borussia & Coadjutorem Magdeburgensem, cui mortalem conditionem Rochlitii 10. Dec. A. 1510. euitare non licuit. XXIV. *Georgium Diuitem* 17. Apr. A. 1539. mortis iter calcantem, nouoque Sacello illatum. XXV. *Barbaram*, Georgii Vxorem, Casimiro, Rege Poloniae, prodeuntem, quae 17. Ian. A. 1534. suis vltimum vale dixit. Filios quinque XXVI. Christophorum I. Lipsiae 5. Sept. A. 1497. vitae lampadem aliis tradentem. XXVII. *VVolfgangum*, qui 12. Ian. A. 1499. in coelum secedens 21. ei. sepultus. XXVIII. *Christophorum II.* prima aetate ad aeterna citatum. XXIX. *Iohannem* 11. Ian. A. 1537. fumi instar euanescentem. XXX. *Fridericum* 26. Febr. A. 1539. funestis fratrum vestigiis insistentem. Filias tres XXXI. *Annam*, XXXII. *Agnetem*, XXXIII. *Margaretham*, quae adhuc impuberes in Libitinae censum redactae.

 XXXIV.

XXXIV. *Annam*, Alberti & Zedenæ filiam. XXXV. *Annam*, Mauritii Electoris gnatam, Wilhelmi, Principis Aurasionensis, vxorem, quæ beatam analysin Dresdæ 18. Dec. A.1577. (non 1582.) habuit & 20. ei. sepulturæ honorem.

Progredior ad PORTAM, Monasterium prope Salam, quod custodit ossa *Georgii*, a Friderico Strenuo procreati, cui Coburgi 9. Dec. A.1401. (non A.1411.) hora nouissima aduenit.

Inde me REINHARDISBORNAM confero, quod cubile dedit I. *Balthasari*, Friderici Grauis filio, VVartburgi 18. Dec. A. 1406. mortem læto excipienti animo. II. Eius filio *Friderico Simplici*, quem VVeisenselæ 4. Maii A. 1440. mors sub pedes coniecit. III. *Annæ*, coniugi Friderici & Güntheri, Comitis Schvvarcenburgici filiæ, quæ vitæ pausam Friburgi 7. Sept. A. 1431. fecit. IV. *Annæ*, Alberto II. Imperatore genitæ, primæ VVilhelmi III. vxori, quam Deus in perpetuam libertatem Eccardisbergæ A.1461. asseruit.

SALFELDA quoque ad se me vocat; Nam in templo Iohannis sita est *Catharina*, vxor Iohannis Ernesti I. & hoc defuncto Philippi, Comitis Schvvarceburgici, filia Philippi, Ducis Brunsuicensis, lineæ Grubenhagensis, cui dies 24. Febr. A. 1581. suprema illuxit, funere 4. Mart. elata. Hic etiam anno elapso 6. Sept. sepulchrum adeptus est *Ernestus Augustus*, Ser. Alberti & Mariæ Elisabethæ filiolus, qui 17. Aug. cœlestis Hierosolymæ incola factus.

SVSELITIVM terræ mandasse dicitur *Ditericum Pinguem* & filium *Fridericum Tuttam*, quos tamen Cellæ cubare supra n.17. & 18. significaui. *Beatricem* vero, Abbatissam Seuselicensem, Friderici Grauis filiam, ibi conditam esse, non refragabor.

TORGAVIÆ tumulus conspicitur *Sophiæ* (non Barbaræ, vt Langio f. 880. audit) primæ Iohannis Electoris coniugis, filiæ Magni, Ducis Megapolitani, quæ immarcescibilem coronam 12. Iul. A. 1503. diuina consecuta benignitate in templo oppidano B. Virginis deprehendit requiem exoptatam.

VINA-

VINARIA Cellæ, Freibergæ & Misenæ non cedit, quin potius Principum ibi humatorum numero iis anteferenda. Exhibet enim in *templo oppidano S. Petri & Pauli* I. *VVilhelmum III.* Friderici Bellicosi filium, qui 17. Sept. A. 1482. (non 1483.) depositum reddidit, nactus locum sepulturæ in *Franciscanorum templo* a se excitato, quo diruto in ædem nominatam cineres eius, vt & duarum Margaretharum sunt translati. II. *Margaretham*, Ernesti Electoris filiam, Heinrici (non Friderici) Ducis Luneburgensis vxorem, quæ in brachiis Saluatoris 7. Dec. A. 1528. placide exspirauit. III. *Margaretham*, filiam VVoldemari, Principis Anhaltini, secundam Iohannis Electoris vxorem, 9. Oct. A. 1521. beato obitu solutam. Hanc *VVitteberga* Reusnerus & Fabricius, falsó tamen, tribuunt. IV. *Iohannem*, Margarethæ iam adductæ filium, & filiam V. *Margaretham*, vitæ stadium A. 1535. decurrentem. VI. *Iohannem Fridericum*, patris Iohannis in Electoratu successorem, qui cœlestis gaudii felicitatem Vinariæ 3. Mart. A. 1554. (non 1547. vt Theodorus Rhay in altera Noæ arca p. 268.) & tumulum 5. ei. obtinuit. VII. *Sibyllam*, Iohannis 3. Ducis Iuliaci, Cliuiæ ac Montium filiam, Iohannis Friderici El. coniugem, quæ 21. Febr. A. 1554. non tam obiit, quam abiit. VIII. *Iohannem Ernestum*, filiolum Iohannis Friderici El. A. 1535. (non 1553. vt Reusnerus & Fabritius, confundentes *Iohannem Ernestum*, Iohannis Electoris filium, Coburgi viuentem cum hoc Iohannis Friderici filio) terris renunciantem. IX. *Iohannem Fridericum III.* Electoris cognominis filium, cui Iena 31. Oct. A. 1565. oculos clausit & Vinaria tumulum permisit. X. *Agnetem*, Philippi, Hassiæ Landgrauii, filiam, quæ in coniugio Mauritii & tandem Iohannis Friderici II. 4. Nov. A. 1555. diuortium vitæ fecit. XI. *Iohannem Fridericum IV.* Ioh. Friderici II. ex Elisabetha Palatina filium Vinariæ 8. Aug. A. 1560. a suis distractum. XII. *Fridericum*, Iohannis Friderici II. filio-

filiolum Eisenbergæ 3. Aug. A. 1572. (alii 1573.) mortem passum. XIII. *Iohannem VVilhelmum*, Iohannis Friderici Electoris filium 2. Mart. (non 24. Febr.) A. 1573. ad triumphalem in cœlis chorum Vinariæ deductum & dormitorio suo 5. ei. commendatum. XIV. Eius vxorem *Dorotheam Susannam*, Friderici III. Electoris Palatini filiam, quæ ad requiem 29. Martii (aliis 29. Maii) A. 1592. peruenit. XV. *Sibyllam Mariam*, Ioh. VVilhelmi filiam, cui morbus Altenburgi 20. Febr. A. 1569. elisit spiritum. Funeri 25. ei. opera data est. XVI. *Fridericum VVilhelmum I.* Iohannis VVilhelmi filium, Electoratus Saxonici Administratorem, qui 7. Iulii A. 1602. diuina luce & ineffabili gaudio coruscare cœpit. Exequiæ 19. Iulii sunt peractæ. XVII. vxorem illius primam *Sophiam*, Christophori, Ducis VVürtenbergiæ, filiam, quæ Fachæ in Hassia 21. Iul. 1590. æternam adiit hæreditatem exequiis 28. ei. honestata. Filios tres XVIII. *Iohannem VVilhelmum*, 23. Ian. A. 1587. acerbo funere sublatum. XIX. *Fridericum*, 20. Iun. eiusdem anni æternitatis candidatum in fasciis pronunciatum. XX. *Anonymum* in vtero matris cum ipsa extinctum 21. Iulii A. 1590. XXI. Filiam *Dorotheam Mariam*, quæ 28. Aug. Anno 1586. morti in rapinam cessit. XXII. *Iohannem*, Iohanne VVilhelmo oriundum, qui animam Deo 31. Oct. 605. & mortalitatis reliquias terræ matri 20. Nov. reliquit. XXIII. Vxorem *Dorotheam Mariam*, filiam Ioachimi Ernesti, Principis Anhaltini, quæ voti de beata Analysi 18. Iulii A. 1617. compos facta. *Filios* XXIV. *Iohannem* exiguum vitæ spatium 6. Oct. A. 1604. consummantem, & 11. ei. sepultum. XXV. *Fridericum VVilhelmum*, 16. Aug. A. 1619. in valle S. Georgii feralem tabulam implentem. XXVI. *Fridericum*, qui in difficili pugna Fleruensi cum Corduba, Duce Hispaniæ, quinque vulneribus saucius per medios hostes ad culmina cœli 19. Aug. A. 1622. transiit. Intestina Mausoleum VVilhelmi Nassouii Bredæ & corpus Vinaria 8. Nov. receperunt.

XXVII.

XXVII. *Iohannem Ernestum*, qui in vico S. Martini superioris Hungariæ 4. Dec. A. 1626. stationem vitæ militiæque deseruit. Exta templo S. Georgii sunt illata & cadaver in septimum vsque mensem asseruatum, vsque dum permissu Ferdinandi II. Imperatoris Vinariam vectum terræ 18. Iulii A. 1627. committeretur. XXVIII. *Iohannem Fridericum* 7. Oct. A. 1628. morti obuiam factum. XXIX. *Bernhardum Magnum*, qui Neoburgi ad Rhenum 8. Iulii A. 1639. in mediis victoriis Victori mortis Christo lucem reddidit. Inde Brisacum delatus ad 14. Sept. A. 1655. permansit, vnde consensu Ludouici XIV. Galliæ Regis exportatus Vinariæ 12. Dec. inter auitos cineres reponebatur. XXX. *Iohannam*, filiam Iohannis posthumam 3. Iul. a. 1609. terrenis rebus exemtam, & 17. Iul. sepultura decoratam. XXXI. *VVilhelmum*, VVilhelmi IV. ex Eleonora Dorothea filium, parentibus 1. Nov. A. 1626. ereptum & 26. ei. humi conditum. XXXII. *Iohannem VVilhelmum*, VVilhelmi IV. filium 17. Maii A. 1639. animam exhalantem & 20. Iunii terra tectum. XXXIII. *Fridericum*, VVilhelmi itidem filium, Rectorem Academiæ Salanæ Magnificentissimum, qui literis immortuus 16. Aug. A. 1656. & 19. Nou. monumento auito insertus. XXXIV. *VVilhelminam Eleonoram*, Friderici Sororem, de suorum complexu 1. Apr. 1653. auulsam. Vinaria in ipsius funus 20. Maii conuenit. XXXV. *Iohannem Ernestum*, Ernesti Pii & Elisabethæ Sophiæ filium 28. Nou. A. 1638. vitæ personam deponentem, depositum 10. Dec. Templum aulicum, *Himmelsburg*, quod VVilhelmi IV. munificentia a fundamentis surrexit, asseruat, XXXVI. ipsum Fundatorem, veram Iohannis effigiem, qui mortem 17. Maii A. 1662. aduentantem tantum abest vt formidauerit, vt potius alacri ipsi obuiam iuerit vultu. Ad exequias cohonestandas subditi 24. Iunii accesserunt. XXXVII. Vxorem *Eleonoram Dorotheam*, Iohannis Georgii, Principis Anhaltini, filiam, quæ diem 26. Dec. A. 1664. sensit

sit decretorium marito 6. Febr. anni sequentis perpetua coniux data.

VVEISSENFELSÆ, alias *Leucopetræ* adiudicantur ossa I. *Adelheidis* & II. *Hedwigis*, Monialium in Cœnobio illius loci, filiarum Heinrici Illustris (Diterici Pinguis Fabrit. f. 586.) III. *Helena* Iohanne, Marchione Brandenburgensi ortæ, Diterici Pinguis maritæ. IV. *Hildegardis* Bauaræ, Friderici Tuttæ vxoris. Sita autem sunt in Monasterio, quod Heinricus Illustris fundauit. *Agnetem*, Heinrici illustris coniugem & *Fridericum Tuttam* hic habere sepulchrum Ioh. Vulpius in descript. vrbis VVeissenfelsæ tradit, in quo lapsus videtur. Cellæ enim quiescunt. *Templum Aulicum*, quod excitauit *Augustus*, locum assignauit. I. *Annæ Mariæ*, priori Augustissimi Augusti vxori, filiæ Adolphi Friderici, Ducis Megapolitani ex domo Suerinensi, quæ in beatorum sedes 1. Dec. A. 1669. commigrauit. II. Eius filio *Augusto*, cuius fores mors A. 1675. pulsauit. III. Filiæ, *Annæ Mariæ*, quæ hominum cætum 17. Febr. A. 1671. deseruisse visa. Nepotibus ex filio Iohanne Adolpho & Iohanna Magdalena, vnica Friderici VVilhelmi II. filia. IV. *Augusto VVilhelmo*. V. *Augusto Friderico*, qui cum vitæ limen vix institerat, 16. Aug. Halæ A. 1676. ad superos abiit, inde Leucopetram 10. Sept. translatus, & VI. Nepti Anonymæ mense Nou. superioris anni infelici partu editæ.

VVITTENBERGA agmen claudat, quæ in templo omnium Sanctorum a Friderico Sapiente A. 1518. exstructo tria ostendit Principum monumenta. Primum est *Annæ*, Rudolphi II. Electoris Saxoniæ maritæ, Balthasare, Thuringiæ Landgrauio progenitæ, quæ pectus morti feriendum 26. Iulii A. 1395. obiecit. De tumulo in Cœnobio Franciscanorum ab Helena, Alberti I. Coniuge A. 1238. condito, ipsi tunc prospiciebatur, quo in ad A. 1544. delituit; Hoc enim Annæ cineres ex æde Franciscanorum in templum arcis, Iohannis Friderici Electoris auspiciis, transportati feruntur Sennerto in Athen. VVitteb. p. 105.

Alte-

Alterum monumentum ad *Fridericum Sapientem*, & tertium ad *Iohannem* Electores, Ernesti filios, spectat. Ille res sibi suas mundum habere iussit Lochauiæ, hodie Annæburgi 5. Maii A. 1525. & hic Schvveinitzii 16. (alii 13. Aug.) Anno 1532. Quos amor viuos, eosdem & mortuos coniunxit. Friderico humanitatis officium 9. Maii præstitum & Iohanni 19. (aliis 16.) Aug.

Delineatis locis sepulchralibus Inclytæ Prosapiæ Witikindeæ nihil amplius restare video, quam vt præsentis dissertatiunculæ titulo colorem aliquem inducam. *Memoriam diei emortualis* Patris Patriæ quondam indulgentissimi, in Schola nostra recolendam indixi, omissa, qua fiat, ratione. Fiet autem a Lycei nostri Conrectore Dn. M. Christophoro Græfio, Collega atque Compatre coniunctissimo, meaque tenuitate, quippe quibus partes felicissimam *Beatissimi Principis memoriam* recolendi iniunctæ. Ille vitam pientissimi ERNESTI pro sua, qua in pangendis versibus pollet, dexteritate, genere Carminis Heroico describet: a me vero laudes illius *collatione* cum *Atauo* ERNESTO, *Electore Saxoniæ*, instituta, sermone libero decantabuntur. Omnia verborum lenocinia pro expetendo vestro, Musagetæ beneuoli, accessu conquirerem, si causa nostra foret, aut ego de vestra facilitate & pietate gloriosissimo Principum præstanda dubitarem. Interim pagellas hasce orantis, si non exorantis, officium subire volui. Valete & hora secunda pomeridiana diei crastini, nostri, vt veterum formula vtar, este Auditores! P. P. Altenburgi VIII. KL. Apr. A. C. cIↃ IↃc LXXIX.

V.

MARCI ANTONII DE DOMINIS, ARCHIEPISCOPI SPALATENSIS, CAVSAE PROFECTIONIS SVAE EX ITALIA.

M D C X V I. IN 4to.

MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, ARCHIEPISCOPVS SPALATENSIS, SVAE PROFECTIONIS CONSILIVM EXPONIT.



E ſubitus, aut inopinatus, reliquis omnibus[1], hic meus diſceſſus; mihi tamen diutino, vltra decennium, conſilio diſcuſſus, exquiſitaque deliberatione maturatus, aliquam paſſim, apud noſtros, moueat admirationem, & apud rei ignaros effectus malos, mea culpa, ſi ſileam, pariat; meæ non præcipitis, ſed optime conſideratæ profectionis conſilium, opportuna præoccupatione, fuit omnino exponendum.

Præuideo ſane, non defuturos obtrectatores plurimos, qui ex hac mea profectione, maledicendi, meque calumniis de more impetendi, ſint anſam arrepturi; id tamen, coram Deo fateor, me non nimium angit, ſolicitatque: Mihi enim, cum Paulo, pro minimo eſt vt ab hominibus iudicer. Sim ſtultus propter Chriſtum: ſim ignobilis: cædar colaphis; maledicar: perſecutiones patiar: blaſphemer; purgamentum Mundi, & peripſema, imo & anathema fiam: dummodo Chriſto Domino ſatisfaciam, & fratribus meis in Chriſto Miniſterio, proſim; debeo penitus contemnere. Nam gloria noſtra eſt, teſtimonium

nium conſcientiæ noſtræ; quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei; & non in ſapientia carnali; ſed in gratia Dei; locum mutem. Meum profecto eſt exhibere me ipſum, ſicut DEI miniſtrum, in multa patientia: in tribulationibus; in neceſſitatibus; in anguſtiis; in laboribus; per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam. Non enim me, neque mea quæro; ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti. Angit me potius, ac ſolicitat, ſi obtrectationibus, & calumniis obuiam non prodiero, facile futurum, vt, non exiguus fortaſſe, bonæ ædificationis fructus, in piis multorum animis, quem ex meis conſiliis capere poſſint, impediatur: multique, loco ædificationis, ex iniuſtis, quas audituri ſint, calumniis, meorum conſiliorum ignari, in ſcandalum aliquod, mei cauſa, imprudentes prolabantur. His ego vt conſulam potiſſimum, profectionis meæ conſilia aperio; eaque reddo omnibus manifeſta.

Meam hanc, in loci mutatione, Diuinam eſſe vocationem, non humanam; nullo modo aut poſſum, aut debeo ambigere. Scio non omni Spiritui facile eſſe credendum; ſed probandos eſſe ſpiritus, ſi ex DEO ſint, vt præclare monet dilectus CHRISTI Diſcipulus Ioannes: in his ego probationibus, præter frequentem integri, vt dixi, decennii, quem a Chriſto didici, ad Patrem luminum, acceſſum; illud mihi (in quo Deum, & meam conſcientiam, teſtes aduoco) eſt certiſſimum, ad meas aures nullas vnquam hominis vllius, cuiuſcunque generis ſuaſiones, perueniſſe; inuitatores nullos vnquam habui, nullos ſuaſores; nullius penitus in hoc ſum vnquam vſus conſiliis; cum nemine mortalium rem contuli. Sed neque ex libris, Romanæ doctrinæ aduerſantibus me mea conſilia hauſiſſe, quis ſuſpicetur: DEVM enim teſtor, me ab illis libris, quos Romana diligentia proſcripſit, vehementer abhorruiſſe. Quos profecto, ſi vllus alius Romanæ Curiæ addictus Prælatus, eſt deteſtatus; ego ſane, vanis a puero conceptis terroribus, deteſtatus ſum ſupra modum. Quanquam ne puerulus quidem iam ſum, cui ſexagenario propemodum, abſque rationum momen-

mentis, persuadeat quisque, quod libuerit. Animi mei ego impetus & cogitationes, aliis regulis non sum moderatus, nisi iis, quas toti Ecclesiæ sanctæ, Sanctus Spiritus, in sacris præscripsit literis; quarumque ductu, Orthodoxi sancti Patres, in Ecclesia Catholica celeberrimi, & quos illa semper est plurimum venerata, fideles Christi instruxerunt. Qui tandem soli Sancti Patres, præter internas Spiritus Sancti motiones, consilii huius mei, amplissimi fuerunt autores. Cur ergo spiritus nequam opus suspicer; A qua me illud præterea suspicione liberat, quod coram DEO, qui corda & renes scrutatur, me, in mea deliberatione, sciam nunquam mentem ad humana & temporalia consilia direxisse. Non ad dignitates Ecclesiasticas, quæ meam decere videbantur conditionem: Iam enim eram Episcopus, nec infimus; sed in patria Prouincia supremus: Spalatensis nimirum, hoc est alias Salonitanus Archiepiscopus, duorum Regnorum, Dalmatiæ & Croatiæ, Primas: tantæ in nostris Prouinciis & Ecclesiis existimationis, quantæ (nec erubescam verum fateri) quiuis alius. Quod si etiam Romanæ mihi dignitates arrisissent, ad eas quoque mihi aditus semper patuit satis amplus. Mores tamen Romanæ Curiæ, mihi nihil probati, vt illam perpetuo abhorrerem, effecerunt. Et nihilominus Romana sedes, in grauioribus, etiam publicis negotiis, mea vsa est opera, apud Cæsarem & Archiduces. Breuia Pontificia, literæ Cæsareæ, & Archiducales, quas penes me seruo, rem satis testantur. Non exigua quoque mea, apud Serenissimam Rempubl. Venetam merita, illius mihi, quæ naturalis meus Princeps est, gratiam paratam exhibuerunt. Vnde melioris fortunæ beneficium mihi sperare licuit, & expectare; si maioris amplitudinis auiditas me tenuisset. Non ad commoda temporalia, quæ mihi sane tanta suppetebant, quanta moderato animo, qualem me semper habuisse, Diuinæ gratiæ tribuo, satis superque fuerunt. In hac vero mea loci mutatione, & dignitatum, & opum detrimenta, amplector lubens, quia, vt dixi, non quæ mea, sed quæ Iesu Christi sunt, quæro. Non igitur humana

vlla

vlla consilia ; non effrenis vlla affectio ; non necessitas temporalis ; non euentus ; non casus vllus acerbus ; qui transuersos homines solet agere, me vt discederem, compulerunt : Sed quid illud fuerit, sine fuco & fallaciis, dicam ingenue.

Ego sane a puero, in sacris studiis, iuxta doctrinam communem Scholasticorum ; & iuxta placita Romanæ Sedis, in Societate IESV, maiori ex parte, sum enutritus. Pro quibus mihi Romanis propriis placitis, autoritate potius quam ratione, cum vera intellectus captiuitate, impressis, atque penitus in animum infixis, mori etiam fui diu paratissimus. Piaculum enim ducebam, circa illa, vel minimam admittere mentis, & cogitationum, nedum assertionis, ambiguitatem : religioneque communi obstrictus, si vel cogitatio aduersus illa interdum obreperet, aut sacra lectio dubium suggereret ; vim mihi ipsi, vt fit in rebus fidei, semper inferendam putaui ; & alio mentem cogitationemque diuertebam : ne aduersus fidei certa mihi putata dogmata, (pro talibus enim nobis pueris venduntur) vel leue dubium admitterem. Fateor igniculos me perpetuo interni spiritus sensisse ; quibus tamen resistebam ; acquiescere vero nunquam plene potui ; neque a vehementi suspicione, quæ me perpetuo, postquam in sacris Theologiæ studiis adoleui, anxium habuit, penitus me liberare. Quam mihi suspicionem augebat, tam exacta, tamque rigorosa, & domestica, & Romana diligentia, qua caueri oculatissime perspiciebam, ne libri Romanæ doctrinæ contrarii, a quoquam nostrum teneantur, vel perlegantur. Vulgo enim eos merito prohiberi censebam ; ne vulgares homines, iudicio, & discretione destituti, falsitatis imbibendæ periculis exponantur : Quod vero studiosis, & optime erga Catholicam fidem affectis, & sana Doctrina pollentibus, penitus auferrentur, suspicione rem non carere, vt ratio merito dictat, semper sum arbitratus. Cum præsertim, etiam post peracta plene Theologica studia ; post assumptos gradus in Theologia ; post promotionem etiam ad

Episcopatus, copiam nobis talium librorum fieri, nullo modo, Romana Curia patiatur. Crescebat suspicio, quod magistri ipsi & professores, in tractandis publice, siue voce, siue scripto controuersiis : omnino velint fidem sibi adhiberi ; aduersariorum dicta, & sententias, illas esse, quas ipsi referunt : auditoribus vero nullo pacto, excommunicationis iniecto terrore, vt legant ipsa Aduersariorum scripta, permittatur ; In quibus abscondendis, supprimendis, perdendis, adeo laboratur, vt hoc ipso latere aliquid in illis liceat suspicari, cui conuellendo, doctrina nostra non sufficiat.

Fouebam, a primis mei Clericatus annis, in me innatum pene desiderium, videndæ vnionis omnium Christi Ecclesiarum : separationem Occidentis ab Oriente, in rebus fidei ; Austri ab Aquilone, æquo animo ferre nunquam poteram : cupiebam anxie tot, tantorumque schismatum causam agnoscere : ac perspicere, num posset aliqua excogitari via, omnes CHRISTI Ecclesias, ad veram antiquam vnionem, componendi ; Idque videndi ardebam desiderio. Dolore interno animi ex tot dissidiis, inter Christianæ Religionis Professores ; ex odiis acerrimis inter nobilissimas Ecclesias inflammatis ; ex tunica Christi fœde scissa, & lacerata concepto, excruciabar. Qui me dolor, & nimia tristitia, mirum in modum conficiebat ; & in dies magis conficit.

Ad regimen tandem Ecclesiæ sum, iam ante viginti annos, promotus, & factus Episcopus Segniensis ; meis Patribus Iesuitis id satis ægre ferentibus ; quem nimirum, non otiosum, non Societati ipsorum inutilem, & agnoscebant, & experiebantur (quod ipsum quoque non plurimi facio ; humana enim omnis æstimatio, vt debet, a me contemnitur ; nisi illa ad Diuina obsequia aliquid valeat) me inquam, vtilem experiebantur ; in medio enim ipso probationis tempore, me adolescentem adhuc, ad humaniores literas, in publicis Gymnasiis Veronæ profitendas, adhibuerunt. Antequam Presbyter fierem,

in

in Mathematicarum disciplinarum Cathedra publica, me Patauii, non sine magno Auditorum concursu, collocarunt. Brixiæ me Rhetorices primum; deinde Logices; Philosophiæque, in Scholis publicis, constituerunt Professorem. In templis vero, diebus festis, vt sacras haberem Conciones, non raro voluerunt. Priuata quoque, & non leuia, mihi negotia peragenda, sæpius iniunxerunt: In reliquisque Societatis ministeriis, me impigrum socium semper habuerunt. Quidni ergo meam, ad Episcopatum prouectionem, ægre ferrent? Quæ mihi fuit prima occasio ex subtilibus, & vt ita dicam, aëreis, Scholasticorum disputationibus, ad terram descendendi; & studia ipsa in actum practicum, curæ spiritualis animarum, & Ecclesiæ, reducendi. Et quoniam proprium iam meum munus Episcopale concionandi agnoscebam, Sermoniarios, Quadragesimaliumque libros, de more, arripui euoluendos; Sed illi mihi breui nauseam, stomachumque mouerunt. Vidi enim, & facile, turpem Scripturarum abusum, dum ad sensus varios, inutiles, ac impertinentes, imo etiam perniciosos, detorquentur: Vidi exempla, aut falsa, & conficta, aut saltem apocrypha & ridicula proponi: Vidi miserabiliter populum deludi; inuentaque Auaritiæ & Ambitionis, pro sanctis fidei dogmatibus, non sine superstitionibus, obtrudi, & inculcari; exhorruique: ac inde, omissis turbidis riuulis, ad sanctorum Patrum fontes, mihi omnino statui accedendum, quorum lectione pro concionibus; & sacrorum Canonum meditatione, pro regimine cœpi delectari.

Hinc nouæ mihi cuiusdam lucis radii identidem, nolenti adhuc & repugnanti, illuxerunt. Obseruabam hinc in theoricis dicta Patrum, valde communi doctrinæ, qua imbutus in Scholis fueram, in multis aduersantia; & ea vel prætermissa a meis magistris; vel non fideliter adducta; vel non sufficienter, aut etiam perperam explicata, animaduertebam: inde Ecclesiasticæ disciplinæ, regiminisque spiritualis nostrorum tem-

temporum normam & praxim, plurimum a veteri dissidentem, non sine admiratione, intuebar. Vnde meæ iam dictæ suspiciones, non leuibus sunt auctæ incrementis; neque nos satis bona fide, doctrinam, & negotia Christi, ac sanctæ Ecclesiæ tractare, quodammodo eminus, perspiciebam; qui ingeniosis potius humanæ speculationis, & Philosophicis ratiocinationibus; quam Diuinæ scripturæ exactius discussæ, & explicatæ, dictis (cuius summa apud nos ignoratio) nostram instruimus Theologiam.

Ab Episcopatu ad Archiepiscopatum sum euectus. Ea mihi noua & vrgentior occasio suborta, studia mea innouandi; ac in iis feruentius & exactius laborandi. Vbi enim Suffraganeorum meæ Prouinciæ Episcoporum molestiæ: sed multo magis Romanæ Curiæ nimia potentia, iura mea Metropolitica perturbantis, me pulsare cœperunt; omnium Ecclesiasticorum graduum, potestatum, munerum, officiorum, & dignitatum, ac præsertim Papatus, mihi fuit radix indaganda, penitusque cognoscenda. Accessit paulo post Venetum interdictum; Romani libelli, nos Venetæ totius ditionis Episcopos, vt pecudes, rudes, imperitos, & malæ conscientiæ homines, deprimere, vexare, ac proscindere non destiterunt. Hinc ad nostras perficiendas defensiones; veritatemque in ipsa causa Veneta cognoscendam, noui & ardentioris studii, mihi nouæ sunt datæ occasiones. Sacri antiqui Canones, Concilia orthodoxa, Patrum disciplina, Ecclesiastica prisca consuetudo, fuerunt mihi etiam atque etiam peruolutanda. Quid plura? Inueni plenissime in his solis, quicquid quærebam, & multo amplius etiam quam quærebam. Iam vero, apertioribus oculis, facile fuit obseruare, doctrinam illarum Ecclesiarum, quas plurimas Roma sibi excitat aduersarias, & a nobis acriter reprehenduntur, a nostrisque Theologis impugnantur, a vera prisca Ecclesiæ puræ doctrina, vel nihil, vel parum admodum aberrare; eamque, non quod re vera hæretica sit aut falsa;

sed

ſed quia ſenſui, corruptiſque Curiæ Romanæ moribus, ipſiuſque humanis conſiliis & inuentis, iam plene factæ temporalis, aduerſatur; Romæ, & apud nos, horreri potius & repelli, quam legitime impugnari. Vidi iam apertiſſime, penituſque perſpexi, Romæ, abſque vllo legitimo fundamento, imo per ſummam vim, innumeros fidei articulos nouos quotidie cudi, & nobis obtrudi; in iis, quæ non modo ad fidem Diuinam nihil pertinent, ſed etiam manifeſtam in ſe continent falſitatem. Quos neque a quoquam diſcuti, neque in debitam Eccleſiæ conſultationem venire, illa patitur; ſed ad necem illos perſequitur, qui vel mutire contra illos audiant. Concilia ſacra iamdiu ipſa compreſſit; ac proinde ſanctæ CHRISTI Eccleſiæ oculos eruit; vt, Samſonis inſtar, cæca reddita, viribuſque propriis deſtituta, captiua, viliſque effecta, infelix gemat. Fuit aliquando articulus fidei, Vniuerſalem Eccleſiam per totum Mundum diffuſam eſſe Eccleſiam illam Chriſti Catholicam, cui Chriſtus ipſe perpetuam promiſit aſſiſtentiam: quam Paulus Columnam vocat, & firmamentum veritatis: Nunc articulum hunc fidei, noſtri Romani contraxerunt; vt iam Catholica Eccleſia, ipſa Romana Curia intelligatur; atque in ea ſola, imo in ſolo Papa, totum CHRISTI Spiritum reſidere, firma fide credendum proponatur: Et quicquid in honorem vniuerſalis Chriſti Eccleſiæ, olim dictum ſit, id totum ad ſolam Curiam Romanam, per ſummam vim & iniuriam Eccleſiæ pertrahatur; & ad fidei articulos Romæ reducantur plurima, quorum nullam a Chriſto habuimus vnquam inſtitutionem: quibuſque inſuper animae fidelium miſerabiliter decipiuntur; ac conſequenter cœci, ſimul cum ſuis cœcis ductoribus, in barathrum perditionis ruunt, & præcipitantur. Atque hæc, inter cætera, iamdiu me ſumma afficiunt moleſtia; doloremque in animo meo excitant incredibilem.

Innumerabiles vero has Romanæ Curiæ nouitates, pernicioſiſſimoſque errores, quibus & clades animarum exercetur & diſciplinæ Eccleſiaſticæ vigor frangitur, & fidei propagatio, ac-

perpurgatio impeditur; & scandala innumera in Ecclesiam inuehuntur; & pax ciuilis Christianorum turbatur: bellaque inter ipsos cientur; & Regna subuertuntur; & schismata horrenda fiunt Ecclesiarum, & mala grauissima oriuntur. Quæ omnia iam exactius obseruaui, nunc singillatim commemorare prætermitto; quia hæc omnia in meo opere de Republica Ecclesiastica plene persequor: quod iandiu præparatum habeo; statimque illud typis dabo, & calcographo, qui mihi in hoc itinere primus in Germania commodus occurrerit, imprimendum consignabo. Decem ego libris, totum hoc de Republica Ecclesiastica opus complector. In quorum primo, formam huius Reipublicæ inquiro: statuoque Ecclesiam sub CHRISTO, ad perfectissimam Monarchiam pertinere; in terris tamen CHRISTI Ministros, a Monarchia terrena alienissimos, ipsa CHRISTI institutione, Aristocratice, non sine aliqua Democratiæ admixtione, Ecclesiam ipsam gubernare: & consequenter Petri Primatum, seu Papatum, ostendo, cum Euangelio, & CHRISTI institutione, plurimum pugnare. In secundo, Ecclesiasticæ Reipublicæ Rectores & Ministros considero: quinam sint, & quomodo sanctis Apostolis detur successio; & quæ sit Episcoporum institutio; & quomodo differant a Presbyteris; & qui sint Ministri inferiores; & quid Sacer Ordo in hac Republica efficiat. In tertio, explico Hierarchiam: quæ inter Episcopos, & huius Reipublicæ Rectores, inuenitur; doceoque, iure Diuino, inter Episcopos, nullam esse prælationem, nullam subiectionem; sed solo iure Ecclesiastico locorum gradus, inter Episcopos, distingui: & consequenter ago de Episcoporum electione, confirmatione, consecratione, seu ordinatione: de Metropolitanorum & Primatum ac Patriarcharum iuribus. In quarto, Romanæ Ecclesiæ discutio priuilegia; ostendoque, eam neque in se, neque in suo Episcopo, neque in suo Clero, vllam habuisse a CHRISTO, supra cæteras, præeminentiam: sed si quam habuit, vel habet, eam ex humanis præsidiis ipsam accepisse. In quinto, propriam Ecclesiæ pote-

sta-

ſtatem indagandam ſuſcipio: ac probo, eam eſſe mere ſpiritualem: iuriſdictionemque omnem ab Eccleſia procul reiicio: & conſequenter de Sacramentorum vi & operatione, diſſero; pariter de Cenſuris. In ſexto, Laicam poteſtatem cum Eccleſiaſtica comparo, vt pateat inter Eccleſiaſticam & temporalem Rempublicam diſtinctio: Principesque temporales Chriſtianos, multa poſſe in Eccleſia doceo; Eccleſiam vero nihil poſſe in temporalibus, maxime erga Reges. Ago itaque de CHRISTI Regno temporali; de poteſtate Laica, vnde ſit, & quam late pateat; de immunitatibus Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum; de Inueſtituris; de Sicula Monarchia: & ſimilibus. In ſeptimo, internam Reipublicæ Eccleſiaſticæ per fidem directionem, contemplor: regulamque veram fidei inquiro; & ita diſputo de Verbo DEI, de Eccleſiæ & Papæ in hoc autoritate; de Conciliis; de Hæreſi; de Schiſmate, & ſimilibus. In octauo, externum Eccleſiæ regimen per leges, Canones, & iudicia, conſidero; Ago itaque de obligatione Canonum; de diſpenſatione; de præceptis ieiuniorum, precum, & ſimilibus. In nono, ad temporalia bona Eccleſiæ accedo; pluribusque explico, quam parca eſſe debeat miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatio; vnde illa accipiatur; & quomodo bona Eccleſiæ adminiſtrentur. Ago itaque de decimis; de beneficiis: de dominio in bona Eccleſiæ; de vſu & abuſu redituum Eccleſiaſticorum; de penſionibus & commodis; & de Clericorum teſtamentis. In decimo & vltimo, libertatem Eccleſiaſticam explicandam ſuſcipio; vt videamus, quomodo hæc Reſpublica libera ſit; & conſequenter ago de priuilegiis, & priuilegiatis, de abuſu priuilegiorum, de exemptionibus, & exemptis, de Monachorum ſubiectione, & ſimilibus. Hic fuit meorum ſtudiorum fructus. Dum enim occaſionibus iam dictis, ſacra Biblia, Patres orthodoxos, ſacratiſſimos Canones, Conciliorum volumina, auide legebam; apertis iam oculis, zelo veritatis, & mihi ipſi & aliis explicandæ, incenſus, non potui non ſcribere, quæ obſeruabam. Atque hæc mea multiplex ſcriptio, opus peperit,

rit, quod recenseo. Vidi itaque, planeque perspexi, nos in nostris Ecclesiis, siue doctrinam, siue disciplinam spectes, a recto tramite plurimum deuiare.

Quid ergo facerem amplius, in medio nationis prauæ atque peruersæ? Si meam Ecclesiam regere, vt par erat, iuxta veterem Catholicæ Ecclesiæ disciplinam; si doctrinam veram Catholicam & docere, & exercere voluissem; grauissimas in caput meum procellas Romanas, fœdissimasque tempestates, accelerassem: contra quem iamdiu odium conceptum Romæ fouebatur; quæ meos, in scribendo aduersus ipsius sensa, labores, iam suboluerat; nam & per Nuntium Apostolicum, Venetiis commorantem, non semel monitus hac de re, & correptus fui. Satius ergo fuit pennas columbæ assumere, & auolare, elongari, fugereque ad solitudines, vbi expectare possim eum, qui saluum me faciat a pusillanimitate spiritus, & tempestate; quam me, cœcum voluntarium, cum cœcis, in interitum cœcos ducere. Quid sunt iam Episcopi sub Romano Potentatu? In temporalibus quidem, vbi opima sunt sacerdotia, & dignitate eminent seculari, Magnates sunt, conspicui sunt, Principes sunt; sed Episcopi, nisi æquiuoce, nequaquam sunt. Reliquorum vero Episcoporum, Episcopalis administratio tota periit; regimen enim omnium Ecclesiarum, totum est Romam redactum: ipsi vero Episcopi, sunt Domini Papæ vix Vicarii; & administri; viles, contemptibiles, oppressi, conculcati; subiecti miserabiliter, non soli Papæ, sed Cardinalibus, totque Congregationibus contra illos Romæ institutis; Legatis a Latere; Nuntiis Apostolicis; Inquisitoribus, Visitatoribus; ac demum Regularium innumeris ordinibus, eorumque fratribus; qui iam, suis Apostolicis priuilegiis, non æquantur modo Episcopis, sed eos etiam superant, impediuntque in regendo, ac eorum absorbent potestatem. Ecclesia, sub Romano Pontifice, non est amplius Ecclesia; sed Respub. quædam humana, sub Papæ Monarchia tota temporali: Vinea est, ad solum Noë inebri-

ebriandum: Grex eſt, quem Paſtor emungat ad ſanguinem, tondeat, imo radat, imo excoriet, & mactet. Cur igitur non fugiam, ne mala iſta videam amplius, neue etiam eorum ſim cooperator & particeps? Canem me CHRISTVS in ſuo grege poſuit; mutus eſſe amplius non debeo, ſicut muti ſunt omnes Epiſcopi ſub Romano: qui hinc ſpe allecti, inde metu territi, ſilent; potiusque aſſentando, ſimul cum Duce, ad præcipitium properant. Quoniam vero Obſequium amicos, Veritas odium parit; cum Veritatem deſerere neque poſſim, neque debeam; odium propinquum mihi omnino fugiendum fuit; odiique effectus iam ordinarii, venena, & pugiones fuerunt euitandi. Eo enim noſtris temporibus redacta res eſt, vt Eccleſiaſticæ controuerſiæ, non Theologis amplius; ſed tortoribus, ſed carnificibus, ſed ſicariis, ſed ſanguinariis, ſed parricidis, defendendæ Romæ, aut Roma, committantur.

Hæc mihi, etſi fugam ſemper ſuaſerint vehementiſſime, nihilominus tamen, ancillam quoque Agar, cum ſuo Iſmaële, mihi moleſtam, diu ſum expertus, fateor: Carnem videlicet aduerſus ſpiritum ſæpius audiui, his vocibus inſurgentem: Quo tandem perges? Dignitatem ſub Romano Pontifice ſatis amplam, & commoda non contemnenda, cum ſpe, ſi vis, aliorum, es aſſecutus. Hæc iam poſſides, hæc certa ſunt, quid alibi futurum ſit, neſcis. Itane & patriam, & cognatos, & affines, & amicos deſeris, ad eos nunquam amplius rediturus? Cur te innumeris aliis Epiſcopis ſapientiorem facis? Illi omnes fuerunt omnia, tolerant omnia, excuſant omnia; cur tu quoque non fers, non toleras, non excuſas? Tune ſolus ex innumerabilibus ſapis, & alii omnes deſipiunt? An neſcis te ſtatim, non abſque ingentibus conuitiis, Romæ primum, deinde paſſim, Hæretici turpi infamia notatum iri? Hæc & ſimilia, mea mihi Agar, ſubinde in aures inſuſurrabat, non ſine interno graui inter ipſam, ac meum internum ſpiritum, victamque iam conſcientiam, conflictu: Sed Diuinus ſpiritus vehementiori impulſu, tandem me

vlterius moras nectere non permisit; ac veluti Abramum, voce illa efficaci, ad se vocauit, dicens: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui; & veni in terram, quam monstrabo tibi: fecitque, vt celeberrimum illud Sapientum dictum, SEQVERE DEVM, re ipsa exequerer; quemadmodum illud ipsum, iuxta sancti Ambrosii, libro 1. de Abraham cap. 2. considerationem, optimus Abram, facto præuenit. Quod ipsius factum, mihi admirabili quadam ratione animos addidit, & robur; dum cerno, DEVM promptæ Abrami obedientiæ illud in primis remunerationis contulisse; vt ab eo dedecus atque infamiam longe propulsarit; Saræ enim vxoris pulcherrimæ pudicitiam, in manibus Tyranni periclitantem, a contumelia liberauit. Sed & Ambrosius me hinc plurimum consolatur, dum ait: Itaque quoniam propter DEVM Abram contempsit omnia, recepit a DEO multiplicata omnia: Sed primam DEVS pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam sciebat coniugi. Illud quoque præclare idem addit Ambrosius: Quod is qui DEVM sequitur, tutus semper est: ideoque Deum, inquit, præferre debemus omnibus: nec patriæ contuitu, nec parentem, filiorumque gratia, nec vxoris contemplatione, reuocari debemus, ab executione præceptorum cœlestium, quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens est seruare quæ donat. Hæc me quoque plurimum confidere faciunt, fore, vt in primam meæ, etsi tardioris, sequelæ, remunerationem, Deus famæ, existimationique meæ, ante omnia consultum esse velit; ne illa, cuiuscunque tandem formæ sit, & pulchritudinis, in manibus quoque Barbarorum, dedecus vllum patiatur: sed illæsa, ac incontaminata, ad aliorum præsertim ædificationem, & scandali euitationem, conseruetur. Qua ego confidentia animatus, vocationeque permotus, ac periculis monitus, fugam hanc arripui iam promtissime.

Charitas tamen Christi super omnia vrget me. Vilis essem & abiecti animi, si ad quietem solam fugerem, vt postpo-

sito legitimo certamine, otio alicubi torpeam, & marcescam. De Christi causa agitur: ea me ad se vocat. Audio vocem illam, in auribus mihi perpetuo intonantem: CLAMA: monentemque, quo clamor meus cum illorum clamoribus coniunctus, quorum non sunt incuruata genua ante Baal, melius exaudiatur; vt super montem excelsum ascendam, ad euangelizandum Syon. Eam vocem sequor, in tutum aliquem locum ascendo, vbi veritas ipsa Catholica, liberum iam extulerit caput; vnde, pro muneris mei debito, eandem veritatem, quantum in me est, pandam; schismatumque extinguendorum, & vnitatis Ecclesiasticæ resarciendæ, vias aperiam, & demonstrem. Clamores meos breui audiet Ecclesia: loquar ad cor Hierusalem; & aduocabo eam. Nec enim muneri meo deesse possum: Episcopo porro cuique ita tradita est Ecclesia sua particularis, vt tamen nouerit, Ecclesiam quoque Vniuersalem, vbi opus sit, sibi esse a Christo commendatam. Nobis omnibus Episcopis a Paulo dicitur: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisiuit sanguine suo. Eleutherii nomine, antiquissimi Pontificis Romani, ad Episcopos illa verba circumferuntur: Huius rei gratia, Vniuersalis vobis a Christo Iesu, commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis; & cunctis opem ferre non negligatis: & Cyprianus, Epistola 13. libri III. se pariter cum Stephano Episcopo Romano, gubernandæ Ecclesiæ libram tenere asserit, illudque addit: Copiosum corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque vnitatis vinculo copulatum: Vt si quis ex Collegio nostro hæresim facere, & gregem CHRISTI lacerare, & vastare tentauerit, subueniant cæteri. Sic facto ipso Cyprianus idem Ecclesiis laborantibus, extra Africam quoque constitutis, imo vel ipsi Romanæ, non semel occurrit; vt in meo Opere de Republica Ecclesiastica libro 2. & 3. pluribus explico. Ita Polycarpus, Irenæus, Osius Cordubensis, Athanasius, Basilius, duo Eusebii, Samosatenus & Vercellensis, Lucifer Carallitanus,

nus, Hilarius Pictauiensis, Theophilus & Cyrillus Alexandrini, Aurelius Carthaginensis, & plurimi alii, Ecclesiæ vniuersalis necessitatibus, ex proprio ipsorum Episcopali officio, vt subuenirent, plurimum laborarunt: relictaque interim, ac bene instructa, & commendata propria Ecclesia; ad alias afflictas & laborantes, se, propria auctoritate, contulerunt. A meo itaque munere alienum non est, imo mei muneris maxime est proprium, vt Romanæ Curiæ, sectam separatam facienti, & gregem CHRISTI laceranti, & vastanti, pro mea virili, vt monet Cyprianus, non accessu quidem ad eam, quia tutus non est, sed recessu corporali ab ea, subueniam. Meam equidem Ecclesiam Spalatensem retinuissem libentissime; sicut Osius, Basilius, Eusebii, Hilarius, & alii a me modo nominati, suas retinuerunt, & ad eas, peracto publico Vniuersalis Ecclesiæ negotio, sunt reuersi; sed quia illa sub Papæ iugo, cum reliquis, gemit; qui Reformationem odit, & fugit, totisque suis, & Principum ei adhærentium viribus; eam impedit; habetque in eos, qui Reformationi insistunt, vitæ & necis potestatem, nullumque viuum esse patitur; propterea necessario mihi fuit ipsa mea Ecclesia penitus deserenda: vt ipse, disruptis his quoque vinculis, iam penitus factus liber, promptior sim ad veritatis præconium celebrandum; tutiusque possim ruinas sanctæ Ecclesiæ, quas a Romana Curia patitur, deplorare.

Tremenda quidem est Regis terreni Maiestas, qui, vt Tertullianus loquitur, post DEVM secundus est, & solo DEO minor; & super quem, vt ait Optatus Mileuitanus, non est, nisi solus DEVS: propterea, cum aliquando Rex Dauid, de adulterio, & homicidio, esset obiurgandus; non summus Pontifex; non alius aut Sacerdos, aut Leuita, non quispiam, aut amicus, aut familiaris, id muneris ausus est assumere: sed Deus ipse, suos proprios ac peculiares ad hoc adhibuit nuncios; Nathanque Prophetam ad Regem increpandum destinauit. Cum Romano vero Pontifice, vniuersam Ecclesiam nunc maxime turbante,

scan-

ſcandalizante, expilante, opprimente, agere non eſt Prophetarum; non eſt expectandum, vt DEVS ad hoc ſingulares excitet Prophetas, & deſtinet nuncios peculiares. Non eſt noſtri Romani Papæ, non eſt tanta Maieſtas, vt terrere debeat: ficta eſt illa temporalis & faſtuoſa Maieſtas; vſurpata eſt; nulla eſt: frater noſter ille eſt, collega eſt, & coëpiſcopus nobiſcum; ac in opere & labore comminiſter. Frater vero qui adiuuatur a fratre, vt eſt in Prouerbiis Salomonis, quaſi ciuitas firma. Quid ſtertimus? quid dormimus? Frater perit, & ſecum Eccleſias in perditionem trahit; Et nos ipſius fratres contemnimus, nec occurrimus? Taceant omnes; quieſcant omnes; contemnant omnes; Ego catellus profecto omnium minimus, qualicunque latratu, excitabo ſaltem fortaſſe acres moloſſos dormientes, a Papatu mira arte ſopitos, qui lupum arceant, & ouile CHRISTI, vt par eſt, pro ſuo munere tueantur. Non meis vtar vocibus in bonis canibus expergefaciendis; vtar DEI vocibus; clamores ſanctorum Patrum, ac Conciliorum, ſanctæque Catholicæ Eccleſiæ, ingeminabo. Decem de Republica Eccleſiaſtica, quos, vt monui, ſtatim edam libris, illud maxime conor, vt Romani errores detegantur: veritas & ſanitas Catholicæ & doctrinæ, & diſciplinæ aperiatur: Eccleſiæ plurimæ, a noſtra Romana abiectæ & repudiatæ, in Catholico ſenſu retineantur: Vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum via, nutu, & digito, ſi non demonſtretur, ſaltem indicetur, ſi quo modo fieri poſſit, vt vnum dicamus omnes, vnum ſentiamus, & ſchiſmata comprimantur: Principibusque Chriſtianis anſa eripiatur, oppreſſionem inter ſe meditandi; & ſub obtentu Religionis, ac fidei; publicam populi Chriſtiani pacem, & tranquillitatem, bellis importunis, ac vere impiis, perturbandi. Sed potius eo vires ſuas dirigant, vt Eccleſiæ Chriſti, ſub iugo tyrannorum vere infidelium gementes, in libertatem priſtinam vindicentur.

Profectionem hanc meam, ſiue etiam ex Babylone exitum, aut fugam, omni ſchiſmatis ſuſpicione carere volo. Fugio

 enim

enim errores, fugio abuſus, fugio ne particeps ſim delictorum eius, & de plagis eius accipiam: A charitate tamen quam debeo Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, ſingulisque eidem communicantibus, me nunquam ſeparo: ſed quantum in me eſt, cum omnibus, quandiu in eſſentialibus noſtræ fidei articulis, & Symbolis, antiquæ Chriſti Eccleſiæ connenimus, perpetuo communicare ſum paratus: ſi tamen nouos articulos, ſiue ſacræ Scripturæ aperte contrarios, ſiue a Symbolis prædictis alienos, iisque repugnantes, ſimul omnes deteſtemur, & abominemur: Alios vero in ſe indifferentes, in Eccleſia nunquam ſufficienter diſcuſſos, ſtabilitos, & definitos, pro articulis fidei, niſi prius ad plenum definiantur, aut iam ſufficienter definiti eſſe oſtendantur, nequaquam admittamus: Sed neque eos vt hæreticos, niſi prius ab Eccleſia ſufficienter condemnatos eſſe nobis conſtiterit, aut condemnentur, condemnemus. Relinquatur itaque, in indifferentibus, libera cuicunque Eccleſiæ facultas opinandi & operandi, & vnaquæque abundet in ſenſu ſuo, donec ipſa Eccleſia Spiritu CHRISTI inſtructa, & recta, controuerſiis finem imponat; veraſque paleas ſeparet a veris granis.

Interim vero celeberrimum celeberrimi dictum teneamus Cypriani, quo in Concilio Carthaginenſi vſus eſt: Neminem, inquit, iudicantes, aut a iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore, ad obſequendi neceſſitatem, collegas ſuos adegit. Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium; tanquam iudicari ab alio non poſſit; cum nec ipſe poſſit alterum iudicare; ſed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti; qui vnus & ſolus, habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione; & de actu noſtro iudicandi. A Romana itaque, imo ab vniuerſa ferme Eccleſia, circa Baptiſmum hæreticorum, tunc Cyprianus diſſentiebat, & propria firmatus opinione, Stephanum Romanum

num sibi acriter in hoc resistentem, cæterosque fere omnes, in aperto errore versari existimabat, nihilominus tamen vinculum inter ipsos vnionis & charitatis Ecclesiasticæ, abrumpi nunquam est passus, ne schisma, quod est pestis perniciosa Ecclesiarum, inter eos exsurgeret. Atque in hoc plurima cum sua laude, Stephani non omnino discretum zelum, Cyprianus superauit. Dum enim Stephanus suis excommunicationibus in malum schismatis ruebat, Cyprianus sua patientia & charitate, eximiaque prudentia, separationem euitauit. Et in hoc Cyprianum sæpe S. Augustinus plurimum laudauit, proposuitque actiones Cypriani, tanquam formam, regulam, & exemplar toti Ecclesiæ ad imitandum.

Ac inter cætera, dum factum Cypriani, & cum Stephano certamen, considerat Augustinus, in suo quinto de Baptismo contra Donatistas lib. cap. XXV. ait: Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, vt in tali discrepatione, nullum inter eos malum schismatis oriretur. Illud itaque Cyprianus tanquam certum habebat, Stephanum vehementer errare, dum hæreticos ad Catholicam reuertentes, absque nouo baptismo reciperet: & nihilominus maluit, non modo cum ipso Stephano, ab eo longe diuersa sentiente, & operante; sed etiam cum illis, quos impuros omnino censebat, communicare; ex eo tantum, quod illi a Stephano in communionem reciperentur; quam schismate Ecclesiam scindere. Et hoc S. Augustinus Donatistis exemplum ad imitandum proponit; proponit & nobis.

Imitemur itaque, Pater Beatissime, vosque Patres, fratresque & collegæ sanctissimi, Cyprianum; Augustino obsequamur, vt ante omnia, schismata auferantur. Cyprianus enim, vt obseruat Augustinus; sanctis charitatis visceribus largissime præditus in vnitate eis manendum putauit, qui diuersa sentirent. Sentiamus & nos inter nos diuersa, quousque plene definiantur, quæ plene nondum sunt definita: sed interim tamen in vnitate maneamus. Nam etsi aliquid aliter sapitis, vt monet Apostolus,

& hoc vobis Deus reuelabit. Nolite maiora quam sunt schismata efficere: Cauete & vos, ne cum Stephano, excommunicationibus importunis, charitatem abrumpere tentetis: ne huiusmodi discrepationibus, vllum inter nos, quod præcauebat sanctus Augustinus, malum schismatis oriatur. Pacem & charitatem omnibus Christi Ecclesiis, per essentialia fidei Symbola Christum profitentibus, restituite. Longe grauius in Ecclesia malum esse schisma, quam hæresim, pro certo habetote. Communionem vestram, saluis opinionibus, pulsis tamen falsitatibus, promptam omnibus exhibete. Veritatis disquisitionem, legitimis & consuetis Ecclesiæ sanctæ modis, libere faciendam, relinquite. Sic enim Christi gratia opitulante, qui se sincere quærentibus denegare non solet, breui futurum spero, vt plena pax & concordia, adeoque necessaria sanctarum Ecclesiarum vnio, consequatur: vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Accendamus inter nos faces, non odii, nec simultatum: sed Religiosæ Catholicæque instructionis: Lucerna pedibus nostris sit VERBVM DEI: Sanctorum antecessorum nostrorum, qui singulare in Ecclesia CHRISTI lumen fuerunt, premamus vestigia: Luce veritatis Euangelicæ, absque firma obstinatione, tenebras errorum & falsitatum disiiciamus: A nouitatibus, quæ antiquam sanctæ Ecclesiæ doctrinam, & disciplinam, pene extinxerunt, recedamus, vt Ecclesia CHRISTI in terris vnica sit, concordiæ perfectæ glutine copulata: In qua omnes vnanimes, vno ore, honorificemus DEVM, & Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, Amen.

Venetiis die XX. Septembris, MDCXVI.

VI.

ACTA EXVSTIONIS ANTICHRISTIANORVM DECRETALIVM.



ANno dominici natalis vicesimo, vltra sesquimillesimum, 10. die Decemb. Conuocata est affixis schedulis omnis scholastica iuuentus VVittembergæ, fore vt decretales Antichristiani concremarentur in horam nonam. Id horæ agminatim est itum ad exustorium, quod post ptochodochum erat parandum. Atque ibi Magister quispiam haud incelebris rogum extruxit ac succendit, impositis Antichristianis decretalibus per eximium D. M. Lutherum, addita est & bulla papistica nuper exhibita quam Idem Martinus in ignem coniecit Hisce verbis prolatis. Quia: inquit: tu conturbasti sanctum domini Ideoque te conturbet ignis æternus. Quo facto rediit in vrbem E. D. M. maxima tum doctorum tum Magistrorum aliorumque litterarum candidatorum caterua comitatus. Remanserunt tamen aliquot studentium centenarii ignem circumsistentes Alii voce sublatissima cantantes Te Deum laudamus. Alii exequias decretalium manibus celebrabant Sed quis poterit friuola hæc omnia recensere? His omnibus finitis Itum est ad prandium.

Acto prandio conducebatur plaustrum iugale rusticum, quod insederunt candidati literarum personati, habitu plane scœnico, vel quo aduenas triuiales scholasticos beanio exuere & gymnasticis initiare solent. Eo habitu & auriga personatus impetuoso fremitu libratisque ictibus agebat equos Atque adeo vt vel omnium moueret cachinnum. In priore plaustri parte

ſedebant pueruli quattuor Iudaica voce præcinentes. Iuxta quos anteſignanus Bullam prolixam quattuor cubitorum (quam XX. aureis e Rhoma coemptam aiebant) perticæ longiori affixam, pro ſigno erigebat, quam ventus carbaſi inſtar ſtridentem circumduxit. Stabat item eodem curru tubicen fictili crepans tuba oculoſque omnium in ſe conuertebat. Dextra tubam tenens. Siniſtra vero rhompheam bellicam geſtans. In cuius mucrone indulgentialis bulla bis transfixa hærens dependente cærata claſſendice conſpiciebatur. Vidimus & aliam bullam pendulis ſigillis fuſte affixam ſuſtolli. Erat qui Chartam denſiſſimam bacillo a tergo pendulam ferebat. Qua grandioribus notulis Hæc verba ſcripta erant: In honore Ordinis Prædicatorum. Sub pedibus autem inſedentium iacebant ligna fiſſilia & virgarum faſciculi cremandi. Spectaculo huic pomeridiano non interfuit D. M. L. neque Philip. Melan. neque Carolſtadius. Porro plauſtrum apparabatur in Veſtibulo ædium cuiusdam philoſophiæ Magiſtri cui nomen Vah. hinc currus oneratus vectabatur in aream gymnaſticam Atque audito claſſico crepituque tubali innumera multitudo confluebat. Collatis vndique libris & Papiſticis & Eccianis item ſophiſticis ac vaſi quod currui iniiciebant intruſis Curſum quem cæperant recta tenebant. Pape Deus quanta literatorum frequentia comparebat certatim poſt currum nitentes. Vbique domorum e cunctis fœneſtris homines ſemiconſpicui prominebant, aut capita fœneſtris exertabant, aut in foribus ædium ſuarum ſubſiſtebant, Admirantes ſclopum Buccinalem ac ſonum hebraicæ cantionis confuſaneum & tantum ſubſequentis turbæ tumultum nouitate inſuetæ rei cuncti fauebant applaudebantque comitando vsque ad rogum. Ignis enim antemeridianus vires nondum amiſerat, ſiquidem erant qui ſcandulare tectum domus cuiusdam ſiue officinæ latericiæ ſpoliantes in ignem ſcandulas ſedulo ſuggerebant. Vbi Buccinator claſſicum cecinit conglomerantibus interim affectatoribus, relictoque plauſtro perſonæ iſtæ pyram cum vexillis Bul-

Bullaribus (eodem ritu quo fieri ſolet in dominicæ reſurrectionis vigilia) ambibant, Partim audiebatur tritum illud canticum Te Deum Laudamus, partim o tu pauper Iudas, partimque requiem æternam ac ſi iuſta perdendæ iam Bullæ celebrarent, & canticum quiſque ſuum cœpit depromere. Interea Auriga ſuggeſtum illic paratum conſcendit audientibus cunctis ac cachinnantibus bullam interpretans recitabat. Atque poſt bullam librum legens Ochſofardicum non ſine riſu auditorum. Item Eccianum & alios nonnullos quos e vaſe depromebant. Tandem nummos ad Miſſam concremandorum ſontium emendicans, deſcendit de ſuggeſto & Bullas & libros cum vaſe ac vexillo coniecit in ignem Tum quidem aliis pyram proruentibus folia librorum cum fauillis ſurgebant in altum. Aliis hæc Papæ ad papaſtris miſſitari vociferantibus Aliis alia atque alia canentibus & cineri illudentibus Ac finitis illis Abierunt quiſque domum ſuam.

Poſtridie eius diei Doct. Martinus quum pſalterium prælegeret (qui tamen pomeridianæ exuſtioni non interfuit) præmonebat omne auditores vt ſibi cauerent a papiſticis ſtatutis. Parum eſſe hoc deflagrationis, ex re fore vt Papa quoque hoc eſt ſedes papalis concremaretur Grauique ſupercilio affirmans. Niſi inquit toto corde diſſentiatis a regno papali non poteſtis aſſequi veſtrarum animarum ſalutem. Adeoque diuerſum eſſe regnum papæ a regno Chriſti & vita Chriſtiana vt tutius foret in eremo agendo nullum omnino videre hominem quam verſari in regno iſto Antichriſtiano. Caueat igitur ſibi quiſquis animæ ſuæ conſultum velit ne Aſſentiendo papaſtris Chriſtum neget, Ideoque aut hic aut vita futura pereundum eſſe cuique ad ſacra hodiernæ eccleſiæ aſpiranti, qui huic operationi erroris contradicere non audet. Sin autem contradixerit vitæ ſuæ diſpendio fieri oportet. Ego autem inquit: in hoc ſæculo periclitari malo quam tantam ſilentii rationem, quæ Deo eſt reddenda, conſcientiæ meæ imponere. Ob id Rhomanæ furiæ iam-

iampridem dissentiens ex corde abominor istam Babilonicam pestem. Atque hæc fratribus meis annunciabo quam diu fuero Si animarum tantæ perniciei resistere non possim Seruandi sunt tamen plærique nostrates, ne & ipsi ad inferos præcipitentur. Faciant alii quicquid velint tempus est vt resipiscamus. Hæc aliaque in eam sententiam multa, Luttherus inibi cum multa verborum luce & fœlici patrii sermonis elegantia recensuit, quæ ego vtpote indoctus & elinguis imitari non possim. Vera tamen esse quæcumque dixerit nemo dubitat nisi trunco sit stupidior cuiusmodi sunt papastri ad vnum vsque Atque palam est omnibus in Christo paruulis quorum palatum sophistica labe nondum est infectum, nec, magnificis huius seculi opinionibus delibutum, cunctisque innocentibus, Luttherum esse viventis Dei angelum, qui palabundas Christi oues pascat solo veritatis verbo, dormientibus illis qui pastoris nomen indigne sibi arrogent. Quantumuis montes seculi ac cedri Libani renitantur panticosi ambitiosique. Non possunt tamen Christi oues non agnoscere vocem domini sui per istum nuncium prolatam Oues autem alieni pastoris hanc vocem non audiunt Beati qui non offenduntur ignobilitate hominis, seculi montes tangentis, qui non fumigare non possunt, quia eorum natura sese ita habet.

τέλος.

VII.

SEPVLCHRI FACIES

M. T. CICERONIS PAVCIS ANTE ANNIS IN ZACYNTHO INSVLA REPERTI

ET A

F. DESYDERIO LIGNAMINEO PATAVINO

IN LVCEM EDITI.

VENETIIS,
IOAN. GRYPHIVS EXCVDEBAT,
MDLVII.

AD REVEREN. F. SIXTVM MEDICEN VENETVM, THEOLOGVM EXIMIVM,

F. IORDANI BASSI VTINEN. HENDECASYLLABVM.

Non ultra voluit patris sepultos
Cœlari cineres, latina lingua.
Quos DESYDERIVS *retexit alto*
Solers consilio, fauensque Musis.
Qui tantum meret, vt videmus omnes,
Quantum soluere vix queamus omnes.

Sed nihil pius hic requirit vltra,
Quam iuuisse bonos suo labore.
Quem, te SIXTE *patrem suum salutans,*
Prælo vult, duce te, obsecratque tradi,
Tuisque auspiciis videre lucem,
Gratum iudicio peritiorum.

Vale, & fœlix viue.

❀ ❀ ❀

IOANNES MARIVS TIRABVSCVS, IN SEPVLCHRI CICERONIS REPERTI TESTIMONIVM.

QVis caput, atque manus, secuit tibi maxime Tulli
Nouimus. ignotum, qui tegat ossa locus.
Hunc, DESIDERIO *debes, cui crede Zacynthum,*
Fœlices cineres occuluisse tuos.
Vrna reperta, oculis luctus profusus amicis;
Antiqua, & facti littera testis adest.

F. DE.

F. DESYDERIVS LIGNAMINEVS PATAVINVS, HIERONYMI FILIVS,

IOANNI BAPT. PRIVITELLIO COENETENSI, VIRO DOCTISS. ET PRAECEPT. OPT. S. P. D.

IN Zacyntho Insula Venetorum, quæ adiacet Epiro, in mari Ionio, Anno MDXLIIII. Kl. Decembr. apud Sacellum D. Mariæ Gratiosæ cognomento, non longe a litore maris positum, F. Angelus Apulus Minorita, dum construendi Monasterii fundamenta effoderet, sepulchrum antiquissimum reperiit, his literis inscriptum. M. TVLLI CICERO HAVE, ET, TV TERTIA ANTONIA. Quod quidem ex hac vetusta inscriptione, ostenditur fuisse M. T. C. Arpinatis, ciuis Romani. Quomodo autem eo Ciceronis reliquiæ delatæ sint, monumentumque hoc ipsum illi sit erectum, vt rem, ab ætate nostra remotissimam, haud facile dixerim. Satis tamen constat, ex Liuio, Appiano, & Plutarcho, quod cum Triumuiri, Octauianus Cæsar, M. Antonio Ciceronem, quem patrem appellare solebat, Antonius vero, Cæsari, L. Cæsarem auunculum suum, & M. Lepidus, L. Paulum fratrem, viros Consulares, nefanda permutatione, necandos concessissent. Cicero vbi hæc vere audiuit, desperatis rebus, præsertim ex sua, filii, & fratris,

ac fratris filii, omnium denique necessariorum, & clientum, amicorumque proscriptione, Vrbe, eo consilio abesse voluit, vt in Macedoniam ad M. Brutum traiiceret. Primo igitur in Tusculanum fugit, inde transuersis itineribus in Formianum veniens, Caietæ, siue Asturæ nauem ingressus, Circeios vsque nauigauit. Ibi, propter ventos aduersos, maris tempestate deterritus, cum in terram descendisset, tædium tandem eum, & fugæ, & vitæ cœpit. Regressus autem ad superiorem Villam, Moriar (inquit) in patria sæpe seruata. Tandem peruicerunt liberti, & serui, qui secum erant, vt iterum nauigaret. Cum igitur ipsum lectica impositum, ad mare referrent, adfuere satellites, cum Cn. Popylio Lænate, legionario milite, qui iussu M. Antonii, Ciceronem patrem patriæ, & patronum suum in parricidii iudicio, prominentem ex lectica, deposita eius mandato, præbentemque ceruicem immotam, capite, tribus feriens, secansque vulneribus, manibus quoque, præsertim dextra, qua Philippicas scripserat præcisis, crudelissime obtruncauit, ante Christum natum Ann. XL. Ætatis vero suæ LXIII. aut, sicuti Arelius Fuscus apud Senecam testatur, LXIIII. Ciceronis deinde caput, & manus, Romam ad Antonium delatæ, aspexit diu summa lætitia exultans, & Fuluia eius vxor (Dionis historici testimonio, lib. XLVII.) Ciceronis caput manibus pertractans deturpauit, & conspuit, moxque super genua imponens, ex ipsius ore linguam extraxit, eamque acubus, quibus ad ornatum capitis vtebatur, multis non sine contumeliis, totam pupugit, & perforauit. Vbi vero mulier nequissima, hac immanitate, & Antonius illo spectaculo per diem oblectatus, & satiatus est, iussit per contumeliam, caput inter duas manus, pro Rostris affigi, & Popylium ducem satellitum coronauit, adornauitque ducentis, & quinquaginta drachmarum Atticarum millibus, hoc est, vt nunc subducunt, XXV. millibus aureorum. Reliquum vero corpus, quo,

&

& delatum, & a quibus sepulchro ornatum fuerit, nunquam legisse memini, nisi semel in quibusdam versibus, de morte Ciceronis, a Viris XII. scriptis, qui illum a L. Lamia, eius amicissimo humi traditum, memoriæ prodidisse videntur. nulla tamen, apud quoscunque, qui de hac re scripserint, sepulturæ loci, mentione facta. Quamobrem crediderim libertos, & seruos, qui cum Cicerone erant, & quieti iussu domini passi fuerant, quod sors iniqua, & M. Antonii iniquitas, tulisset in eum, accepisse cadauer, & combusisse, & mox conscendentes nauim ad nauigandum paratam, cum cineribus ipsius, & forsitan vxore, & aliis propinquis, & amicis, ex timore bellorum Ciuilium, Zacynthum Insulam, in ipso nauigationis cursu appulisse. Ibique, a L. Lamia ipso, & cæteris qui aderant amicis, venerandos illos cineres, humi conditos fuisse. Deinde Marcum Ciceronis filium, quem Octauianus, vt se a traditione Ciceronis excusaret, Pontificem statim declararat, nec multo post Consul factus, sibi collegam delegerat, in memoriam patris, cum in Italiam rediret, (in Græciam enim fugerat post Ciceronis mortem, Appiani testimonio) monumentum hoc, pro ea copia, quæ Zacynthi erat, faciundum curasse. Siquidem, & in Macedonia, dignas inferias (antiquorum more) patri persoluerat, cum illi M. Brutus ad vindictam, necandum concessisset, C. Antonium, Triumuiri fratrem, quem captiuum habebat. In ipsius autem sepulchro, adinuentæ fuerunt Vrnulæ duæ vitreæ, in quibus tanti viri cineres, & amicorum lachrymæ, (de more) seruabantur. Erant autem formæ, & magnitudinis effigiatæ, & expressæ ad vnguem, vt sequenti fol. cum facie ipsius sepulchri, videri licet. Quod non modo non a veritate ipsa alienum, sed etiam & credibile, & rationi consentaneum esse, hoc ipse vno argumento facile iudicarim. In fundo enim maioris Vrnæ cinerum, in ambitu concaui, vitro erat inscriptum. AVE MAR. TVL. Quæ omnia, superiori anno, XVIII.

 Cal.

Cal. Maii cum ex Creta Venetorum Colonia, vbi decennium publice bonas literas docueram, in Italiam nauigarem, cum Hieronymo Bragadeno, Cydoniensium Rectore opt. & integerrimo, meis oculis inspexi, manibus attrectaui in sacrario antedicti templi, & descripsi. Cum autem Venetias applicuissem, atque inde Pat. III. Id. Maii. multorum doctissimorum virorum, in primisque Egnatii Veneti, Thomæ Tosarelli Vtinensis, Marci Mantuæ Benauidii Iurisconſ. Arnoldi Rholæi Medici, Bernardini Tonitani, Lazari Bonamici, & Ioannis Faseoli Patauini, cohortatione deuictus, sub tuis auspiciis ad communem Studiosorum vtilitatem, & gratiam, nunc primum aliquid ocii nactus, vt hæc in manus hominum mitterentur, curaui. Antiquissimam hanc igitur, Ciceronis memoriam, (præceptor opt. & omnium doctiss.) donec maiora tibi, & fortasse meliora parturimus, veluti præludium aliquod, perpetuæ meæ erga te obseruantiæ, benigna fronte, hilari vultu, & læto animo accipias quæso. munusque non ex se ipso, sed ex animo meo metire, cum præsertim, *ὡ καλὸν αἰλωματοῦσθαι δοκεῖν ἔη*, vt vulgo dici solet. Te autem Reueren. F. Io. Bapt. Lignamineus Pat. Theologus eximius, & mihi patruus opt. saluere iubet. Ego vero, & te, & suauissimos, probatissimosque filios tuos, Tarquinium Iurisconſ. & Virginium summæ expectationis adolescentem, & saluere, & perpetuo felices esse volo. Vale meum, & tuorum decus, & me in eorum numerum recipias oro, qui te diligenter obseruant, & colunt.

VENETIIS, ex celeberrimo DD. Ioannis, & Pauli Cœnobio, XI. Kl. Febr. Anno a Salute mortalibus restituta,

M D XLVII.

F. DE-

F. DESYDERIVS LIGNAMINEVS PATAVINVS,

HIERONYMO MERCATELLO VENETO, ECCLESIAE PATAVINAE CANONICO, BENEFICENTISS. PATRONO SVO, S. P. D.



VIA nonnulli, tuque in primis, (Hieronyme Virorum opt. addo etiam doctiss.) admirati sunt, illud HAVE, in sepulchro M. T. C. paucis ante annis a me in lucem ædito, flatili litera inscriptum esse. Iccirco nonnullas inscriptiones antiquissimas in medium adducam, ne id ambiguum habeas, in frequenti idem esse antiquorum librorum, & lapidum obseruatione, in quibus passim sic scribitur. Erat olim in agro Patauino, lapis pulcherrimus, qui nunc visitur prope Augustam Vindelicorum, cum hac inscriptione. D. M. PORTITORI PLVTONI, ET PROSERP. HAVE IVLIA C. F. MAXIMA FELIX. Quæ latius videri licet apud inscriptiones totius orbis, & Bernardinum Scardæonium, religione, & doctrina virum eximium, de claris ciuibus Patauinis. Non dissimiles etiam multis in locis, sic leguntur, raro autem admodum aliter, vt in fundo maioris Vrnæ cinerum Ciceronis, & Mediolani in Domo Ill. Io. Iacobi Triultii. AVE ALCIMAE BENE TIBI SIT. Harum vero inscriptionum, HAVE, exempla quædam, misit olim Marcellus Ceruinus superiori anno Pont. Max. sed immaturo Fato nobis ereptus,

ereptus, ad Petrum Victorium, de re literaria pulchre meritum, & hæc sunt. MACEDO HAVE, BENE VALEAS. Quæ inscriptio visitur Romæ duobus in locis, vt habent Epigrammata antiquæ vrbis. In domo quoque Marii Odi IPHIGENIA SVAVIS HAVE. In horto etiam Iulii Tomarotii viri clarissimi, Longolii testimonio. HAVE HYGIA ANIMA DVLCISSIMA, SIT TIBI TERRA LEVIS. Est præterea pulcherrimis literis ita scriptus lapis Pisis, vbi Cosmus Med. Florentiæ Dux II. florentissimum Gymnasium instauravit. PARTHENI HAVE. BENE BALEAS. Apud Ostiam itidem, IVLIA SP. F. THAIDI, HAVE THAIS, DII TIBI BENEFACIANT. Nec Salerni aliter inspicitur, FLAVIA CLAMERA DVLCISSIMA HAVE. Nihil igitur dubitandum, tot iam locupletissimis testimoniis in medium adductis, quin hæc vera sit Orthographia, HAVE, ab antiquis recepta, & obseruata. quam etiam Georgius Fabricius Chemnicensis retinuit, dum huius sepulchri a me in lucem æditi mentionem fecit in sua ROMA, de locis Sepulchrorum Cap. XX. Quod vero a me petis, quæ nam fuerit Tertia illa Antonia, de qua fit mentio in Sepulchro Ciceronis, Id mihi (vt verum fatear) adhoc non satis constat. Quam obrem autem Tertia, cognomine dicta sit, facile quiuis perspicere potest. Sic Romulus, (authore Plutarcho) cum ex Ersilia filiam vnam suscepisset, eam ab ordine procreationis, Primam appellauit. Tertia igitur erit cognomen. (Quamuis non ignorem, plerosque prænomen magis esse opinari) sicut & Prima, & Secunda, & Quarta, & Quinta. quod ipsas sorores eodem patre genitas, & nomine gentilicio, sicuti mos erat dictas, distingueret. Exempli causa. Antoniæ si tres fuissent sorores, Prima, Secunda, Tertia, cognominibus distinguebantur, si duæ tantum, Maior, & Minor apponi solebat. Et me in hanc sententiam trahunt antiquorum lapidum inscriptiones Patauinæ, vt alias, quæ passim variis in locis leguntur, præ-

prætermittam. Quas vt tibi morem geram, & Patriæ faciam ſatis, oculis tuis ſubiiciam. In Hortis Vincentii Scardæonii Pat. Medici, hoc epitaphium inuiſitur, vbi Primæ mentio fit. C. POMPEIVS C. L. LEPIDVS SIBI, ET POMPEIAE. C. L. PRIMAE TESTAMENTO FIERI IVSSIT. In agro Pat. Itidem, in vico Aponi celeberrimo, C. ATILIA C. F. PRIMA. SIBI, ET Q. SICINIO VIRO SVO., V. F. In peruetuſto etiam templo D. Io. Bapt. a Nauibus, Secundæ exemplum habetur. CIPIA P. F. SECVNDA FIEREI IVSSIT. Exemplum Tertiæ habes in hoc ſepulchro Ciceronis, & in monaſterio Carcerum, non longe a municipio Ateſte. Q. CARTILIVS Q. F. ET LVXONIA, T. F. TERTIA. De quarta extat epitaphium T. Liuii in antiquiſſ. lapide inſcriptum, quod ab æde D. Iuſtinæ translatum, Ciues Patauini, in Prætorio ampliſſimo paucis ante annis, ponendum curarunt. T. LIVIVS, LIVIAE, T. F. QVARTAE: L. HALTS CONCORDIALIS, PATAVI SIBI, ET SVIS OMNIBVS. Quintæ vero mentio eſt Pat. in quodam lapide confracto, C. FILICINVS SIBI VIVOS FECIT, ET C. ENNIO C. L. ANTIO PATRI ET VETTIAE PRISCAE MATRI. C. FIL. QVINCTAE. In meæ Sententiæ cumulum, id quoque de maribus ab antiquis obſeruari, præclaro epitaphii teſtimonio, addiderim. quod olim repertum in D. Iuſtinæ ingreſſu, nunc inuiſitur apud Alexandrum Baſſianum Pat. politiſſimæ eruditionis virum, cuius domus, rerum antiquarum officina merito dici poteſt. Id autem eſt huiusmodi. C. SEMPRONIVS Q. F. PRIMVS, VIVOS F. SIBI ET VXORI CLODIAE SECVNDAE ET Q. SEMPRONIO TERTIO FRATRI SVO. Si quid melius ſenſerint, aut excogitarint doctiores, & diligentiores viri, ex librorum antiquorum lectione, id omne illis, condonandum poſteris, relinquo. Tibi vero hæc pauca de multis (vir opt.) potiſſimum inſcribo, quoniam te ſemper antiqui-

tatis omnis, amantissimum cognoui. Id etiam eo libentius facio, quo tibi de maximis tuis erga me beneficiis, gratiam saltem aliquam referre videar. Authoritas enim tua, & testimonium quantam mihi apud Reuerendos Canonicos Patauinos existimationem fecerit, exploratissimum constat, siquidem tibi vni acceptum refero, quod me literarum interpretem, ad vestræ Ecclesiæ iuuentutem instituendam delegerint, Kl. Maii, M.D. XLVII. Quapropter nunc fateor, & quoad vixerim simul cum meis omnibus, me tibi semper obnoxium esse, fateri cogor, & volo aliquando huius meæ erga te obseruantiæ, monumentum aliquod, si modo tantum ingenio præstitisse valeam, posteritati commendare. Interim has vigilias nostras, (qualescunque sint) eo animo accipias, quo me semper erga te, & familiam tuam obseruantissimum, ac uotis tuis deditissimum noris, & Bernardinum fratrem opt. meo, & F. Leonardi Altauillæ, nomine salutabis, cuius dolor, ex immatura morte Bartholomæi vnici eius filii, & nepotis tui suauiss. nos, (ita viuam) & amicos omnes, vehementer excruciat. sed quod durum, quod ineluctabile est, patientia leuius fiat. Vale, ac me (vt facis) humanitate illa tua singulari, complectere.

PATAVII, ex Musæo nostro, D. Augustini, Sept. Idus Maii, Anno Christi, M.D.LVI.

IN M.

IN M. T. CICERONIS CINERES REPERTOS,

ALEXANDRI MAMIANI FERRARII.

EN Marci Tulli cinerum uenerabilis urna;
Inuida quam longo tempore texit humus.
Hic picta est, alta qualem iacuisse Zacyntho
Fert DESIDERII *lingua diserta mei.*
O cineres, sanctos cineres, cineresque beatos,
Quos ego diuinum numen habere puto.
Queis tantum Latiæ debet facundia linguæ,
Quantum oratori Græcia docta suo.
Per vos Romanum eloquium sic splendet, vt ardens
Aetherio clari solis ab axe iubar.
Vos igitur merito supplex, & pronus adoro,
Atque, diu illæsos vt tegat urna, precor.

EIVSDEM.

Cur cineres latuere pii tot secula? nemo
Dignus adhuc, illos qui reseraret, erat.
At DESIDERIO, *cuius micat inclyta virtus,*
Hac licuit sacra busta aperire manu.

IN EOSDEM,
LVCAE CAMPANII.

Eloquii princeps Romani Tullius, ipſum
Eloquium uiuens uexerat aſtra ſuper.
Occiderat pereunte illo facundia lingua,
Et balbo Latium cœperat ore loqui.
Hinc iacuit multis dicendi copia ſeclis,
Præclari cineres dum iacuere viri.
At nunc pulueribus, gaudent noua ſecla repertis,
Et reparat vires lingua Latina ſuas.

EIVSDEM.

Scis quia tam longo Ciceronis condita ſæclo
Oſſa, rogum, cineres alta Zacynthos habet?
Non deſiderio quisquam perculſus, in oras
Optarat ſuperas luminis illa vehi.
Hoc igitur deſiderium feciſſe putandum eſt?
Eſt DESTDERIO *gratia babenda igitur.*

EXCVDEBAT
PETRVS FICKELSCHERR.